



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Iacobi Brvckeri Regiae Scient. Societatis, Qvae Berolini
Floret, Membri Historia Critica Philosophiae**

A Tempore Resvscitatarvm In Occidente Literarvm Ad Nostra Tempora

Brucker, Johann Jakob

Lipsiae, 1743

Capvt Secvndvm. De Philosophis Aristotelico-Scholasticis Recentioribvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29129

CAPVT SECVNDVM.

DE PHILOSOPHIS ARISTOTELICO-SCHOLASTICIS RECENTIORIBVS.

§. I.

Quanta industria, quotque laboribus viri magni et iudicii atque ingenii laude florentes Scholasticam philosophiam eiicere ex orbe philosophico conati fuerint, quantaque felicitate et euidencia, eius vanitatem, futilitatem, inanemque subtilitatem, et quae ex hoc foetu adulterino exorta sunt, damna scientiarum demonstrauerint, in antecedentibus prolixè exposuimus. Plurimum hanc diligentiam apud viros recti pectoris et sinceræ mentis, cui veritas re omni alia potior fuit, valuisse, tota, quae suscepta, et a nobis breui compendio delineata est, philosophiæ reformatio atque commutatio ostendit. Ast cum nihil sit in rebus humanis ab omni parte beatum, factum tamen est, vt inuenustus pullus a quamplurimis retineretur, nouisque plumis augetur, qui, quamuis ingenio ad meliora discenda eligendaque non destituerentur, philosophiam Aristotelico-Scholasticam^a ob commoda publica et priuata retinere maluerunt. Id quod primo quidem intuitu mirandum videri queat, causas vero arcanas considerantibus facile euenire potuisse, est manifestissimum. Nempe ita arête cohaeret Scholastica theologia cum philosophia Scholasticorum, et vtrique emolumentum curiæ Romanæ, totiusque, quam illa fulcit, hierarchiæ ecclesiasticæ, tantis tamque arcibus nexibus implicatum est, vt impossibile fuerit, sine detrimento armaturam hanc, qua pro receptis dogmatibus bella geri posse haud infeliciter plerique credebant, abiicere, nuntiumque mittere studio, quod tanta vtilitate cultoribus suis laborum præmia offerebat. Quæsitus itaque malo huic, quod medicinam respuebat, color est, ne, quae magna testium, etiam domesticorum nube rationibusque luculentissimis et inuincibilibus demonstrata erat Scholasticæ philosophiæ deformitas bonas mentes deterreret, ficque

*Philosophia
Scholastica
tota non ex
orbe philoso-
phico eiecta.*

P 3

hoc

a) Quamuis magnus recentiori ætate eorum sit numerus, qui Aristotelico-Scholasticam philosophiam excoluerunt, nemo tamen huius sectæ historiam condidit, et Scholasticos recentiores enarrauit. Id quod potissimum contentui adscribendum est, quo ineptum philosophiæ genus profecutus est, quisquis elegantiorum literarum iucunditatem et ornamenta suspicere sectarique didicit. Hinc de Scholasticis philosophis recentioris ætatis ibi tantum quaedam dicta sunt, vbi historia theologiæ polemicæ enarranda fuit, cui tela subministrauit istud pseudo-philosophiæ genus. VNUS MORHOFFI-

vs recentiores ex hac classe nonnullos adduxit, Polyhist. lit. T. II. L. I. c. 14. p. 82. qui consulendus. Quoniam tamen plerique, qui Scholasticam philosophiam eum theologia iunctam excoluerunt, ex religiosorum ordinum familiis fuere, facile eorum historia ex notissimis eorum libris hauriri potest, qui literariam historiam horum ordinum religiosorum scripsere. Tacemus eos, qui recentiorum theologorum Romanensium enarrationem dederunt, v. g. AVBERTVM MIRÆVM in Auctario suo, L. ELL. DVPTINVM in Bibliotheca nouæ ecclesiastica, similesque in vulgus notos.

hoc Palladium theologiae ipsique ecclesiaeque eriperetur. Hinc condemnatus quidem abusus est, reiecta inutilis curiositas, excusata spinosa subtilitas, vsus vero eximius quam Scholastica philosophia in sacris disciplinis haberet, ambitiosis verbis explicatus atque collaudatus est, sicque palpus oculis incautis obtrusus, qui non videbant, abusum sanae philosophiae ipsam Scholasticae philosophiae naturam constituere, eiusque indolem talem esse, vt sublato abusu, nihil fere ex Scholastica philosophia remaneat. Quod licet manibus palpare possit, quisquis mediocri attentione vtitur, placuit tamen multis, veterem cantilenam repetere, et inconditos vultus hoc potissimum colore pingere. Respondit id Luthero acriter in Scholasticam theologiam et philosophiam inuehenti Parisiensis theologus HIERONYMVS HANGESTVS^b, cuius verba laudat LVD. ELLIES DUPINVS^c: *Non omnis, inquit, theologia Scholastica conuictis ea propter est laceffenda, quod professorum nonnulli sophisticis eam quaestionibus deformant; non omnis schola professoribus his assurgit, qui risui potius atque contemptui sese exposuerunt.* Vnde laudatus vir doctus, vt hanc contumeliam ab ecclesia, cui erat addictus, depelleret, ad academiae Parisiensis commentarios prouocat, in quibus narratur, *Parlamentum Parisiense, vt abusus quorundam theologorum tollerentur, qui neglecto euangelio desertisque doctoribus ecclesiae, theologiam in sophisticen immutarunt, legem anno cIo Io XXX tulisse, qua cautum sit, vt omnes scholae theologicae sequantur methodum in cap. nonne, et in tota dist. 37. c. 3.*^d *quae a profanis studiis ecclesiasticos arcet, praescriptam.* Verum haec aut dicis gratia fuisse dicta, aut frustra praecepta, nec mutauisse scholam consuetudinem suam, ipse vir eruditus, qui haec profert, qua erat integritate, negare non potuit, adduxitque elegantem locum MELCHIORIS CANI^e, „qui „miseram Scholae doctrinam vocat, quae detracta scripturae sacrae auctoritate fyllogismis contortis de rebus diuinis philosophatur, immo ne de „rebus quidem diuinis, sed nec de humanis, verum de rebus, quae nihil ad „nos attinent“. Qui et porro addit: „Intelligo etiam in schola fuisse non- „nullos, quasi ad discordiam natos, qui tum optime se differuisse putant, „cum contra doctores dixerint, vt non tam verum inuenisse velle videan- „tur, quam aduersarios conuincere, concertationibusque et rixis totas „chartas implere. Atque hos, sunt in ecclesia multi, tanquam milites „auctoritati vel tuentur vel impugnant, et tota eorum de re theologica „disputatio partium studium est, contentio atque dissidium“. Et alio loco^f: „In hoc disciplinarum genere theologiae professoribus et honesto et neces- „sario duo illa vitia maxime vitanda sunt, quae Cicero commemorauit. „Vnum

b) In tr. de academiis adu. Lutherum.

c) De methodo studii theologici c. 3. p. 40.

d) Verba Gratiani ab Hieronymo accepta haec sunt: „Nonne vobis videtur in vanitate sensus „et obscuritate mentis ingredi, qui diebus ac

„noctibus in dialectica arte torquetur? qui phy- „sicus perscrutator oculos trans coelum leuat, et „vltra profundum terrarum et abyssi in quod- „dam inane demergitur“ etc. Conf. c. 4.

e) LL. Theol. I. VIII. c. 1. f) L. IX. c. 7.

„Vnum ne incognita pro cognitis, incertaque pro certis habeamus. Qua
 „in re etiam in theologia multum peccatur. Vt illi, qui D. Thomae Sco-
 „ticique opiniones vel indiscussas amplectuntur, proque his non aliter pu-
 „gnant, ac pro aris et focis. - - Alterum est vitium, quod quidam ni-
 „mis magnum studium multamque operam in res obscuras atque difficiles
 „conferunt, easque non necessarias. Quo in genere multos etiam e no-
 „stris peccare video, vt eas quoque quaestiones latissime persequerentur,
 „quibus Porphyrius abstinuit, homo impius, sed hac in re prudens tamen,
 „vt Platonis Aristotelisque discipulum agnoscere possis. Qui nec quic-
 „quam nisi opportunis et loco et tempore tractarunt, nec quaestiones vl-
 „las profecuti sunt, quae iuuenum ingenia obruerent, non iuuarent.
 „Nostri autem theologi importunis vel locis longa de his oratione disse-
 „runt, quae nec iuuenes portare possunt, nec senes ferre. Quis enim
 „ferre possit disputationes illas de vniuersalibus, de nominum analogia, de
 „primo cognito, de principio indiuiduationis, sic enim inscribunt, de
 „distinctione quantitatis a re quanta, de maximo et minimo de infinito,
 „de intentione et remissione, de proportionibus et gradibus, deque aliis
 „sexcentis huiusmodi, quae ego etiam, cum nec essem ingenio nimis tar-
 „do, nec his intelligendis parum temporis et diligentiae adhibuisssem, ani-
 „mo vel informare non poteram. Puderet me dicere, non intelligere, si
 „ipsi intelligerent, qui haec tractarunt“. Satis manifeste ex hoc testimo-
 „nio domestico intelligi potest, non praeter rem Scholasticis obiici, quod
 „recentiori aetate inconditum doctrinae genus seruauerint. Nam quae Du-
 „pinus ad emolliendam obiectionem avertit, „culpam pessimorum fructuum
 „in philosophiam et dialecticam non esse conferendam, nec inde occasio-
 „nem sumendam eas condemnandi, cum philosophia proprie loquendo
 „nihil aliud sit, quam ratio exulta atque perfecta, adeoque philosophia
 „bona ad religionem permultum prodesse queat“: recte quidem se ha-
 „bent, si de philosophia bona et sobria, quod ipse vult, intelligantur, ad
 „philosophiam vero Scholasticam applicari non posse, quilibet, praeiudicii
 „expers, manibus palpat, ipseque vir doctissimus falsus est, „libidinem ri-
 „xandi, et puerilem quandam ostentationem decipiendi aduersarium, iis
 „plerumque adhaerere, qui in philosophiam scholasticam totos se immer-
 „gunt; intellectum enim eorum subtilitatibus hisce sensim adfuescere, ama-
 „re eas, occupari his vnice, suauiterque acquiescere: hinc immensam
 „istam rixandi libidinem oriri et ostentationem vere puerilem, victrices
 „semper laureas neccendi, suumque aduersarium omnibus disputationibus
 „vincendi et ad silentium redigendi: hunc scopum, hunc finem esse omni-
 „um fere de rebus quoque feriis disputationum, idque se non solum de
 „Scholis, sed de ipsis celebratissimis auctoribus intrepidum pronunciare“.etc.
 „Ex quibus larga manu datis sole meridiano clarius est, Scholasticos recen-
 „tiori quoque aetate non defuisse. Plurimis haec testimoniis roborari pos-
 „semus, virorum summorum, qui hanc scabiem in Italiae, Germaniae,
 Hispa-

Hispaniae scholis hodiernum obtinere conquesti, hos ecclesiae suae naeuos detestati sunt, si id ageremus. Legenda tamen quae prudenter sobrieque ex Germanis monuit VDALRICVS STAUDIGEL ^g, ex Hispanis vero nuper candide fassus est eruditissimus MAIANSIVS ^h.

*Causae ve-
tentae philo-
sophiae Scho-
lasticae.*

§. II. Causas vero, cur non obstante tanta melioris philosophiae, et elegantioris literaturae luce, inconditum pseudo-philosophiae genus haecenus obtinuerit porro explorantibus, praeter vanitatem humani ingenii, quod sibi in his difficilibus nugis vehementer placet, et nescio quam acuminis laudem affectat, eorum potissimum conditio alleganda est, qui tempora sua inutili et inepto studio tribuunt, quique magnum sibi ex eo emolumentum promittunt. Ut enim taceamus, ad haereticos obtundendos ex his pharetris tela sibi defumisse lignea, thrasones immodicos, ratos sapientiam diuinam stramineis humanarum nugarum machinis opus habere, egregieque defendi posse; ipsa professionis ratio, cui nomen plerique addixerant, in causa fuit, ut has porro partes sectarentur, quamuis amoeniora et praestantiora illis monstrauisset virorum doctorum diligentia. Plerique enim vel ipsi religiosorum ordinum familiis voto addicti erant, vel doctores tamen eiusmodi habuerant, qui ex his coetibus monachorum erant desumpti. Inter hos vero summam oportebat esse auctoritatem Alberti M, Bonauenturae, et aliorum, et imprimis Thomae Aquinatis et Ioannis Scoti, qui cum plerique sanctitatis laude florent, et coelitum choro additi essent, omnes autem maximam suae, cui adscripti fuerant, genti sacrae celebritatem conciliaissent, ita imperium inter suos obtinuerunt, tantoque praeiudicio Venerationis discipulos eorum, qui ab ordinum suorum affectis pendebant, occupauerunt, ut hi dubitare de eorum philosophia non auderent, illam vero sibi gloriam vindicarent, quam ex fideliter retenta defensione non sine libidine et subtilitatis affectatione Thomae Scotique philosophia et theologia sibi promittebant. Id quod eo altius animis se infinuauit, cum philosophia horum Scholasticorum, qui in partes discesserunt, grauissimo dogmati de auxiliis gratiae, et controuersis de eo obortis se immiscuisset. Inde enim factum, ubi semel a simplicitate apostolicae doctrinae in Scriptura S. traditae erat recessum, et Scholasticae tricae Paulinis dogmatibus surrogatae, ut sine Scholastica philosophia de celeberrima quaestione, quae toties Romanam ecclesiam commouit turbauitque ⁱ, disceptare, partesque semel arreptas defendere posset nemo. In qua quaestione tuenda cum Dominici et Francisci familia diuersa et opposita quidem castra sequerentur, eorumque monachorum partes sub Thomistarum et Scotistarum symbolis pro re nata alii ordines sacri

g) In praef. ad Io. MABILLON. tr. de studiis Monasticis Latine conuersum.

h) In vita Immanuel. Martini, eius epistolis praemissa.

i) Testes damus IAC. HYACINTHI SERRII siue vero nomine AVGVSTINI LE BLANC ex vna

parte, ex altera vero THEODORI ELEVTHERII siue LIVINI DE MAYER scripta ad historiam controuersiae de auxiliis gratiae pertinentia. Conf. quae in compendio eleganter narrat Cel. PFAFFIUS Primit. Tubingenf. P. I. p. 86 seqq.

facri fusciperent, magna inde doctrinae Scholasticae exorta est aemulatio, et bella incruenta inde enata sunt, quorum tamen historia alio loco enarranda est. His, quae Ignatio Loiola auctore surrexit societas Iesu ubi accessit, et non theologiae modo atque philosophiae tradendae curam suscepit, sed et palmam in hoc stadio emetiendo aliis praeripere conata est, et pro curiae Romanae decretis militare his armis coepit, notis viribus ex semine relicto succreuit, et in vberimam segetem effloruit pseudo-philosophiae Scholasticae lolium. Et hac quidem ratione factum est, vt, cum vbique locorum melior iam philosophia emerisset, in academiis tamen, quae Romanae curiae obsequio mancipatae sunt, et ex sacris istis ordinibus publicos doctores accipere solent, itemque in monasteriis, philosophia Aristotelico-Scholastica conseruata sit, et haud raro egregie aucta. Ab illis enim, qui hoc doctrinae genus in scholis publicis tradiderunt, praerudicium insulfum enatum est, esse philosophiam Scholasticam orthodoxum et catholicum philosophiae genus; quam gloriam equidem his hominibus minime inuidendam esse putamus, experientia tamen edocti nouimus, non omnes ita desipere viros eruditos, qui in monasteriis et academiis philosophiam docent, vt his tricis terere tempus, naeniisque istiusmodi deludere hiantes iuuenes velint, sed surrexisse nostro potissimum tempore viros strenuos, cordatos, acutos, qui condemnata et abiecta morologia Scholastica per omnes fere philosophiae partes pulchrius philosophari, et praerudicia vetera exuere decorum putauerunt. Immo non nostri solummodo aevi ea felicitas est, sed diu iam inter theologos et philosophos Romanae ecclesiae tesseram fidei sequentes fuere, qui melius saperent, et scholasticam philosophiam atque theologiam abiiciendam esse contenderent, licet moderate sententiam dicere eos coegerit Scholasticorum recentissimorum auctoritas ^k. Et MELCHIORIS CANI quidem, qui ex Dominici familia theologus Hispanus fuit, a quo talia vix expectari poterat, verba supra adduximus ^l, qui licet haereticorum aciem istis culicum telis frangi posse credat, de auctoritate tamen Scholasticorum doctorum ita prudenter et candide differit, vt fastidiuisse virum doctissimum ineptum doctrinae genus nullumque ei pretium statuisse, luculenter appareat. Cuius rationibus cum vsi sint magni Galliae theologi IOANNES LAVNOIVS ^m et LVDOVICVS ELLIES DUPINVS ⁿ, quorum ille ad deprimendum foetum adulterinum iucundum atque eruditum libellum *de varia fortuna Aristotelis in academia Parisensi scripsit*, coniiciet ex eo Lector, quae de Scholastica philosophia et theologia eorum fuerit sententia. Quo melioris philosophiae sensu et emendandae tandem aliquando eruditionis desiderio egregie iudicii acumen commendauit, illustre Benedictinae familiae foda-

Condemnata
tamen philo-
sophia Scho-
lastica et de-
relicta tan-
dem.

k) Egregia multa de hac catholica philosophia monet Cel. HEVMANNVS Act. phil. Vol. II, p. 281. dignus, qui legatur.

l) Conf. BVDDXVS Isagog. ad hist. theol. L. II. c. 1. §. 15. p. 407.

m) De fortuna Aristotelis c. XIX. p. 350.

n) Loco supra citato.

sodalitium, cuius testes esse possunt exempla haud pauca, et praecipue candida viri summi IOANNIS MABILLONII sententia^o, Germanis ab editore, eiusdem professionis viro, tam graui inuectiua in Scholasticam philosophiam commendata, vt alios taceamus. Vnde merito patriae nostrae gratulamur, quod in ea hodie quoque in monasteriis scholisque inueniantur, qui Newtonum, Gassendum, Cartesium, Leibnizium, Wolfium, Vasquesio, Sanchezio, Conimbricensibus huiusque furfuris Scholasticis aliis praeferunt, vel vbi inuidia premente, in hoc stadio currere impediuntur, in id connituntur, quod in votis nuper habuit, alter ordinis sui Mabillo-nius Cl. BERNARDVS PEZIVS^p, vt postquam philosophiae Aristoteleae ac theologiae Scholasticae sat litatum fuerit, ad sacram Criticam, ad illustrandos sacros patres, ad discutienda selecta historiae ecclesiasticae capita, ad eruenda ex pulueribus et umbris veterum auctorum monumeta, in quae San-Mauriani tanto ecclesiae commodo tantoque cum omnium doctorum hominum applausu incumbunt, maiorem suarum curarum ac studiorum partem traducant. Aliorum virorum doctorum ex Romana ecclesia loca de abiicienda philosophia Scholastica heic, vbi *ὡς ἐν παρ-ὄδῳ* ista tantummodo tangenda sunt, praeterimus, consulendi autem sunt, quos nominat magni nominis theologus CHRISTOPHORVS MATTHAEVS PEAFFIVS^q.

Enarrandi Scholastici recentiores, sed paucis.

§. III. Ex dictis vero liquet, magnum esse, etiam post renatas literas, restitutamque orbi literato philosophandi libertatem, Scholasticorum recentiorum numerum, integrosque posse contexi eorum catalogos, qui philosophiam Aristotelico-Scholasticam spissis interdum voluminibus et taediosis commentationibus explicuerunt: sic vt quartam Scholasticae philosophiae aetatem illos constituere, recte non nemini^r sit obseruatum. Verum hos recensere omnes, et in eorum conatibus philosophicis enarrandis ingratam deuorare molestiam, idem esset, ac arenosa litora sine emolumento, sine messe speranda arare, tempusque ac otium perdere: adeo pauca sunt, quae ad philosophiae incrementa attulere, adeo iniucunda sterilibusque tota illa est tractatio. Quoniam tamen in vniuersalis historiae philosophicae institutionibus eorum mentio quaedam facienda est, eos non omnes negligemus, sed praestantiores celebrioresque ex hoc scriptorum genere auctores, quos ingenii subtilitas exultit, nominabimus, paucisque, vt in hoc argumento decet, eorum historiam exponemus. Sequemur autem ad iuuandam lectoris memoriam eum ordinem, vt secundum

^o) loc. cit.

^p) Praef. ad Biblioth. Benedicino-Maurianam.

^q) Introduct. in hist. theol. literar. P. I. Lib. II. §. I. p. 199. Silendum autem hoc loco non est, Celsissimum Iuuauentium principem et archiepiscopum ad emendandam Salisburgensem academiam, et reuocanda elegantiora studia melioremque philosophiam animum adiecisse. Quod eo magis orbi literato gratulandum est, quo pauciores in hac schola fuisse, qui praeter scholasticam

stribiliginem, de melioribus literis solliciti essent, ex graui et docta inuectiua constat, quae nuper contra pseudo-philosophos edita est, hoc titulo: *Αδυστάμωνος Φιλοσοφίας*, vindiciae aduersus Sycophantas Iuuauientes Coloniae (seu verius Venetiis) 1741. 4. quibus nigro sale perfricuit auctor ineptos homines, et Muratorii V. C. vindicias elegantii eruditione adornauit.

^r) Vid. BVDDEVS Comp. histor. philos. obseruationibus illustrat. c. V. §. 6. p. 350. 351.

dum religiosae professionis et sodalitatum tessera eos recensamus. Quamvis enim inter Protestantes quoque seculo potissimum XVII, quod vere eriticum in orbe civili et literario fuit, extiterint, qui suis labris hanc lactucam adaptarunt, pauci tamen illi sunt, et ignobilis plerique nominis, qui vero Scholasticam philosophiam edocti nominis inter eos celebritatem consecuti sunt, ipsum Aristotelem Scholasticis praetulerunt, hincque alio loco infra adducendi sunt. Dabimus itaque ex Romanae ecclesiae gremio Scholasticos Dominicanos, Franciscanos, Cistercienses et Societati Iesu adscriptos. Non negamus quidem, aliorum quoque sodalitorum religiosorum in hoc stadio emetiendo diligentiam conspicuam fuisse, et dedisse nobis Scholasticos philosophos, e. g. S. Augustini, S. Benedicti, et Philippi Nerei sodales; verum exiguus eorum est numerus, si cum reliquorum ordinum Scholasticis comparetur, hoc loco, vbi potiora tantum breuitatis causa commemoramus, non considerandus *. Accedit nonnullos horum, cum ob auctoritatis praeiudicium inter suos regnans, emendatoris philosophiae praecepta suis quasi vestimentis ornata discipulis suis tradere non audent, tectius rem aggressos, recentioris philosophiae observationes habitu Scholastico, tractationeque atque methodo Scholis suis accommodata, protulisse in lucem, sicque invidiam maleuolorum euitauisse †. Tacemus vnum alterumque ordinem religiosum a colendis literis seuerioribus plane abstulisse, et ignauo torpuisse otio, id quod de Praemonstratensi fatetur CASIMIRVS OVDINVS ‡, *ignauiam atque ignorantiam ordinis huius fuisse proprias et eximias dotes, quibus a crepundiis ad nostra usque tempora ab aliis distinctus sit*. Alii relicta vni alteriue ex suo ordine ad tuendam cathedram philosophicam et theologiam, doctrina Scholastica, criticae sacrae et ecclesiasticae, colligendis illustrandisque veterum monumentis sacris, explicandis praestantioribus historiae literariae sacrae capitibus, immo illustrandae quoque veteris orbis et medii aevi historiae, vel sacris quoque oraculis exponendis operam commodauerunt suam, et pauca, quae ad philosophiam spectant, attigerunt. Quo in campo summa cum laude versata est Benedictinorum in Gallia congregatio, quae S. Mauri auspiciis regitur; cuius sodalitati tot literarum meritis, optimisque elegantissimae doctrinae operibus parta gloria illustris literariam historiam cum post Bernardum Pezium enarraret, PHILIPPVS CERVIVS §, vnum tantum inter tot scriptores sui ordinis celeberrimos auctorem habuit, quem philosophiae nomine laudaret *, praestantissimi ingenii et acuminis philosophum FRANCISCVM LAMI, cui praeter librum *de cognitione*

Q 2

ne

*) Confuli vero possunt indices scriptorum ex his ordinibus, quos nominat FABRICIVS in Bibl. Lat. mediae et STRVVIVS Intr. in hist. lit. T. VII. c. 7. §. 24. seqq.

§) Exemplum esse poterit acuti ingenii philosophus EVSEBIVS AMORTIVS canonicus regularis S. Augustini Pollinganus, qui in systemate suo

philosophico recentiorum observationes habitu Scholastico indutas adduxit.

†) Praef. comm. de Script. eccles.

‡) *Bibliothèque historique et critique des auteurs de la congregation de S. Maur.* 1726. 8.

§) p. 185. seqq. conf. PEZ. *Bibl. Bened. Maur.* P. I. c. 41. p. 281. BAYLE *lettres* T. II. p. 520. 577. edit. Marchand, NICERON *Memoires* T. III. p. 355.

ne sui ipsius, elegantes diatribas philosophicas, debemus, in quibus atheorum impietatem, et imprimis Spinozae ineptias euertit ^y, itemque philosophiam primam, siue *prima elementa scientiarum, introductionis loco ad cognitionem solidam exposita*, quibus subiunctum *tentamen logicum* ^z. Ex quibus eius libris manifestum, euitasse virum acumine philosophico celebrem spineta Scholastica, et meliorem philosophiam fuisse festatum. Tacemus, quae in controuersia Mallebranchii scripsit, vel physici argumenti edidit, alibi enumeranda.

Scholastici recentiores Dominicani.

§. IV. Vt vero heroes inter Scholasticos recentiores Lectori contemplandos sistamus, initium facimus a Dominici familia, quae Thomisticam scholam presso pede sequendo accurationis et orthodoxiae philosophicae laudem sibi praeter ceteris arrogauit. Nec diffitendum protulisse hunc ordinem religiosum magna nonnulla ingenia, et fuisse satis diligentem in Scholasticae doctrinae studio, sic ut pulchra dare potuisset, si maluisset his ineptiis serua et meliora praeferre, et oculos aperuisset, ad videndam nuditatem philosophiae et theologiae Scholasticae, quam ex hoc ipso ordine confodalibus suis demonstrauit Melchior Canus. Ast tam venerabilis illi est, tamque carissima Thomae Aquinatis Praedicatorum albo adscripti memoria, ut omnem fere operam suam viri quidam acuti ingenii et haud proletariae eruditionis in eo posuerint, ut doctrinam Thomisticam propagarent, eamque acerrimis proeliis defenderent. Quod magnis imprimis animorum motibus factum est, ex quo de auxiliis gratiae disceptatum est, ut supra dictum. Eminent vero inter multos, quorum notitiam facile suppediabant historiae literariae Dominicanorum scriptores toties nobis citati ^a, Dominicus a Soto, Franciscus de S. Victoria, Dominicus Bannez, Franciscus Syluester, Miachaël Zanardus, Ioannes a S. Thoma, et qui philosophiam Aristotelico-Scholasticam cum Platonica raro exemplo iunxit Chrysofostomus Iauellus.

Dominicus Sotus.

§. V. DOMINICVM SOTVM, siue A SOTO Hispania genuit, Segotia in lucem edidit anno cIo CCCC XCIV, vnde eius mentionem inter doctos viros Hispaniae fecit NICOLAUS ANTONIVS ^b. Parentes nactus humiles, paupertatem quidem primo inter impedimenta studiorum expertus est, mox virtutis et doctrinae magistrum habuit, cum Complutensem Scholam adiisset: in qua Thomam de Villanoua praeceptorem, Sauedram condiscipulum habuit. Haustus philosophiae et theologiae iuxta methodum Thomisticam mysteriis in academia Parisiensi supremos honores theologicos obtinuit, inque Hispaniam redux, et in Bùrgensi coenobio Dominici sodalitis adscriptus praeceptori Thomae a S. Victoria in academia Salmanticensi in cathedra publica successit. Magna vero cum eius eruditionis esset exultatio, Carolo V imperatori a sacris confessionibus esse,

y) Le nouvel atheisme renuersé, Paris 1696.

z) 1706. lingua Gallica.

a) Conferendi imprimis IACOBVS ECHARDVS, et de Hispanis NICOLAUS ANTONIVS,

et ANDREAS SCHOTTVS.

b) Bibl. Hispan. T. I. p. 255. SCHOTTVS B. H. Tom. II. p. 234. conf. IAC. ECHARD. de Scriptor. Dominic. T. II. p. 171.

esse ^c, et anno c10 I0 XLV concilio Tridentino interesse iussus est ^d. Aulæ vero pertaefus ad Salmanticensem professionem rediit, naturaeque debitum soluit anno c10 I0 LX, lampade Melchiori Cano tradita. Praeter scripta theologica, quibus magnum inter suos nomen meruit, enumerata a SCHOTTO, ANTONIO ^e, ECHARDO ^f, FABRICIO ^g, et ab ipso quoque SOTO ^h in Aristotelem et Porphyrium more Scholastico commentatus est: eorum catalogum dedit DAN. GEORG. MORHOFIVS ⁱ, qui videndus. Maxime vero memorabilis Sotus est ob libros VII. *de iustitia et iure Salmanticae anno c10 I0 LVI* editos, quibus postea libri *de iuramento et adiuratione* accessere, quo habitu *Venetis* quoque anno c10 I0 C prodierunt. In ea tractatione si non primus naturalis iuris scientiam tentavit, quod nonnulli Francisco Victoriae vindicant, inter primos tamen fuit, qui dispersas Scholasticorum de hoc argumento sententias collegit, atque integram tractationem exhibuit, vnde pronuntiavit HENR. BOECLERVS ^k: *ad omnium, qui ante ipsum scripserunt, in hoc genere doctrinas duces et indices esse posse*. Nihil vero, quod sobriam philosophiam redoleat, in hoc argumento praestitit, cum mallet Scholasticos sequi, quam suae mentis aciem consulere. Methodus quoque Scholastica confusam tractationem reddit et incertam, luculento argumento, ad severam argumenti nobilissimi considerationem Scholasticam philosophiam prorsus esse ineptam. Habuit discipulum Franciscum Toletum, cuius in sequentibus facienda est mentio. Non confundendus autem est cum Petro Soto ^l et Francisco Soto ^m huiusque nominis aliis. Huius Soti praeceptor fuit FRANCISCVS DE S. VICTORIA, a Cantabriae vrbe ita dictus, quam patriam habuit. Haustus apud Parisienses philosophiae et theologiae praeceptis, susceptaque Praedicatorum ordinis professione, philosophiam et theologiam publice in Salmanticensi academia docere iussus est, tanta eruditionis Scholasticae opinione, vt BARTHOLOMAEVS A MEDINA Salmanticensis itidem professor, et eiusdem ordinis sodalis, de eo scripserit ⁿ, *eum praeclarum eruditione, ingenio, eloquentia, abdita Thomae arcana discipulis patefecisse, vt se ipsum superasse videatur, et Hispaniam primus theologizare docuerit*. Scripsit is libros *de potestate civili et ecclesiastica*, aliaque laudata ANTONIO ^o, MORHOFIO ^p, LOPEZIO ^q aliis. In his scriptis suis iuris gentium praecepta passim tradens minus quam ceteri, desipuisse visus est; suntque, qui suspicentur, eo Grotium in multis fuisse usum, quanquam raro illi allegetur ^r. Nec id diffidetur, vir doctus, qui *Vindicias Grotianas* nobis dedit ^s, qui librum *Relectionum*

Franciscus de
S. Victoria.

Q 3

- e) MIRAEVS in Auctar. c. 548. p. 101.
d) Ibi patribus congregatis librum de natura et gratia dedicavit.
e) loc. cit. f) l. c.
g) Bibl. Lat. med. T. II. p. 163. DUPIN. Bibl. eccles. T. XVI, p. 32.
h) In recognitione operum tuorum ad calcem comment. in quartum sententiarum.

- i) Polyhist. T. II. L. I. c. 14. §. 26. p. 93.
k) Praef. ad GROTIUM de I. B. et P. p. 23.
l) Vid. MIRAEVS l. c. p. 101.
m) Vid. ALEGAMBRI Bibl. script. S. I. p. 254.
n) Apud MORHOF. l. c. p. 92.
o) l. c. SCHOTTVS p. 232. p) l. c.
q) Histor. Ord. Praedicator. P. IV. L. I. c. vlt.
r) MORHOF. l. c. s) p. 619.

num Victoriae, in quibus hoc argumentum tetigit, *theologis pariter ac iureconsultis maximo usui esse posse monet, adeo quippe accurate et subtiliter differentis de rebus morum, ut sine admiratione legi non possit.* Quod utrum de homine Scholasticae philosophiae principii methodoque velut cynosura utente dici possit, reueraque in dissertationibus *de bello, de usuris* aliisque, quae in illis *Relectionibus* continentur, de Victoria praestiterit, iudicent, qui legerunt: rarissimae vero sunt, et magno olim, teste MORHOFIO ^a pretio venditae. Habuit discipulos Dominicum Sotum, Melchiorem Canum, Ferdinandum Vasquium et Didacum Couarruiam, Hispanos, quos ultimos Grotium quoque frequenter legisse idem testatur ANONYMVS ^u. Obiit anno c10 10 XLVI.

Dominicus
Bannez.

§. VI. Eadem quoque academia Salmanticensis publicum doctorem habuit DOMINICVM BANNEZ, Mondragonii in Biscaia natum, ordinis Praedicatorum, qui illustre inter Hispaniae theologos et philosophos Scholasticos nomen obtinuit. Thomae enim, et quem ille secutus esse censetur, Augustini dogmata magno acumine defendit. Is post primariam viginti annorum apud Salmanticenses professionem rude donatus, dum in patriam iter suscepit, sub annum c10 10 CIV, Methymnae campi fati concessit ^x, et praeter scripta theologica, *Institutiones* quoque *dialecticas* reliquit ^y. Inter Scholasticos, quos Italia protulit, Ferrariae natus est FRANCISCVS SILVESTRIVS, tanti inter consodales suos existimationis, ut ordinis sui generalis constitueretur, obiitque, si MIRAEO ^z fides, anno c10 10 XXVIII, postquam diu in Bononienfi gymnasio docuerat. Valde is a suis extollitur, luculentumque eius elogium scripsit LEANDER ALBERTVS ^a. Praeter scripta theologica, VOSSIO ^b, FABRICIO ^c aliisque enarrata, et *Commentationem in THOMAE librum aduersus gentes*, scripsit quoque *Quaestiones in tres libros Aristotelis de anima*, quas *additionibus et quaestionibus philosophicis* illustravit MATTHAEVS AQUARIUS, in Neapolitano gymnasio doctor publicus ^d. Inter Italos porro Scholasticae philosophiae laude clarissimum nomen adeptus est MICHAEL ZANARDVS Bergomenfis ex Vrgnano S. theologiae lector. Non enim D. Thomae doctrinam modo feliciter illustravit, et inter eius commentatores eminuit, sed philosophiam quoque Aristotelico-Scholasticam acutis tractationibus enucleavit, editis libris, *de triplici vniuerso, de physica et metaphysica, commentarioque cum quaestionibus et dubiis in octo libros Aristotelis*; de quo, qui librum euoluit testatur MORHOFIVS ^e, *eum esse diligentem in dubiis mouendis iisque resoluendis, quibus uti possint, qui in hoc scientiae genere disputaturi sint*

Franciscus
Silvestrius.

Michaël Za-
nardus.

ex

t) l. c. Extant in bibliotheca Augustana, vid. ELEHINGERI Catal. p. 220. vbi integer titulus exhibetur.

u) loc. cit.

x) MIRAEVS de Script. sec. XVII. p. 265.

y) vid. ANTON. l. c. MORHOF. l. c.

z) l. c. VOSSIVS de Hist. Lat. L. III. p. 676.

a) De viris illustribus Ord. Praedic. Lib. IV. p. 141.

b) l. c.

c) Bibl. Lat. med. T. II. p. 554. 597.

d) Venet. 1629. conf. MORHOF. l. c. p. 95.

e) l. c. p. 92. GHILINI Theatr. vir. doct. etc.

ex principiis Aristotelicis: eidem quoque methodo insistere in metaphysicis, in quibus principia Thomae ab antiquis et recentioribus impugnatoribus defendat. In quo nihil ille peculiare habet ab aliis sui generis scriptoribus, qui omnes eadem chorda oberrant. His IOANNEM A S. THOMA iungimus, Olyssipponensem, ex Praedicatorum quoque ordine theologum atque professorem Complutensem, postea Salmanticensem, quiue Philippo IV, Hispaniarum regi, a confessionibus sacris fuit. Is quam viam, in philosophia more Scholastico tradenda, tenuerit, ex cursu philosophico Thomistico, ad exactam, veram, et genuinam Aristotelis et Doctoris Angelici mentem constat. In eo enim de dialecticis, physicis et metaphysicis perspicue et luculenter breuiterque scholae suae dogmata, teste MORHOFIO ^f explicat; qui tamen ubi non contemnendam sane operam posuisse auctorem in hoc opere iudicat, non cogitavit, scholae huic propriam fuisse inanem subtilitatem Scholasticam, nec Thomam, quem tamen is vnum sequitur, Aristotelem ubique recte explicuisse, fuisseque accurate affecutum. Tribuunt ei alii quoque *systema logicum, artemque logicam, et naturalem philosophiam*, quae annon cum isto opere eadem sint, dicere non possumus, qui librum non vidimus.

Ioannes a S.
Thoma.

§. VII. CHRYSOSTOMVM IAVELLVM Canapitium Italia protulit natum anno M CCCC LXXXVIII, qui suscepta Dominici religione apud Bononienses circa annum cō Io XXX theologiam et philosophiam docuit, scriptisque philosophicis Lugduni vno fasce editis ^g, inclauit. Is imprimis inter recentiores Scholasticos notatu dignus est, quia non modo inter eos magna nominis eius est existimatio, qui frequenter ad eum prouocant, sed et vniuersam fere philosophiam Aristotelis commentariis suis illustravit. Qua vero is methodo vsus sit, ex *Quaestionibus in libros physicos* patet, in quibus dubia Aristotelis et commentatoris eius, Auerrois, se resoluturum promittit iuxta Thomisticum dogma. Ast cum Aristotelis doctrinam scientiae magis adaptatam, Platonis autem religioni conuenientiore crederet, raro inter Scholasticos exemplo animum quoque ad Platoniam philosophiam applicuit, cumque antea *dispositionem moralis philosophiae secundum Aristotelis philosophiam* edidisset, *moralis quoque philosophiae dispositionem secundum Platonem* ^b concinnauit, cuius summam accurata recensione exhibent *Acta philosophorum* ⁱ. Imo *ciuilis quoque philosophiae ad mentem Platonis dispositionem* conscripsit ^k, et his demum subiecit *Institutiones philosophiae Christianae*. Quae vero eius mens de Aristotelis et Platonis philosophia fuerit, omnium optime ex eius *praefatione in dispositionem moralis philosophiae Platonicae* discitur, ubi inter alia ita differit: *Etenim Aristotelis disciplina nos quidem doctos ac subtilissime de moralibus, sicut de naturalibus differen-*

Chrysostomus
Iauellus.

f) Polyhistor. I. c. p. 91.

g) Tribus tomis 1580. integrum titulum habes in Car. Bibl. Aug. Ehingeriano p. 591. conf. p. 578. ubi eius commentarii Aristotelici enumerantur.

h) Ven. 1538. fol.

i) Vol. III. p. 210. seqq.

k) Ibid. subiuncta est Dispositioni morali.

tes efficere potest: at moralis Platonica ex vi dicendi atque paterna adhortatione veluti prophetia quaedam, et quasi superum vox inter homines tonans, nos procul dubio sapientiores, probatioris vitaeque felicitioris reddere valet. - - Plato in omni disciplina sua non tam philosophicum quam propheticum stilum seruare videtur: more enim piissimi patris, diuini vatis, ac sacerdotis a corporis illecebris expiatis ad diuina nos rapere contendit. Merito igitur, ut cunctis bene recteque viuere cupientibus moralissimae ac purgatissimae doctrinae speculum proponerem, post doctrinalem Peripateticam religiosam ac piam diui Platonis ante omnium oculos velut ornatissimam virginem statuendam decreui. In sequentibus quoque consilii sui rationes has fuisse, ait, ut exposita et morali Aristotelis, et diuina ac Christiana philosophia Platonis, moralem philosophiam, quoniam quam proxima est diuinae ac Christianae, seque habet ad eam, ut luna ad solem, locaret mediam inter Peripateticam atque Christianam, quo per ipsam cunctis facilius accessus pateret ad Christianam atque diuinam: et ut huiusmodi sapientes, qui soli diuinae legis auctoritati non facile cedunt, nec contentantur, saltem Platonis rationibus atque institutis Christianae religioni ipsique veritati admodum consentaneis acquiescant. Ex quibus verbis patet, Iauellum in eadem de Platonica philosophia opinione fuisse, quam Platonicos seculi XV fouisse suo loco diximus. Ex quo colligimus, eum forte in illorum scholis fuisse educatum: vnde haud pauca non inepte ex mente Platonis affert, quamquam interdum a syncretismo Platonico-Peripatetico decipitur; multa quoque perperam Platoni tribuit, sic ut facile sentias Aristotelicam philosophiam notitiae Platonicae philosophiae alienum interdum colorem induxisse. Forte et magna, qua Patres Platonem prosequuntur veneratio Iauellum ad hunc syncretismum compulit, et apologiam pro Platone, quam se instituisse dicit, scribere coegit.

Scholastici ex
Francisci or-
dine.

Ioannes Pon-
zius.

§. VIII. Franciscanorum sodalium in castris Scoti militare con-
fuevit, quem inter prima ordinis sui ornamenta numerat, et subtilius,
quam ipsum Thomam, philosophiae et theologiae Scholasticae myste-
ria explicuisse contendit. Quare post renatas quoque literas et restitu-
tum philosophiae nitorem magistro, suo pertinaciter adhaesit, Scholasti-
cosque philosophos dedit, nominis fama inter suos valde celebres. Inter
eos IOANNES PONZIVS est, Corcagia Hibernus, S. theologiae
lector iubilatus, et in Collegio Romano primarius professor, qui philoso-
phiam quoque Parisiis docuit. Edidit is *Cursum integrum philosophiae
ad mentem Scoti, primum editum in collegio Romano fratrum Mino-
rum Arbernorum, postea ab ipso auctore in conuentu magno Parisiensi
recognitum, insuperque morali philosophia, variisque additionibus locu-
pletatum* ¹. In quo libro totus Scholasticus quoad rem et methodum est,
et Scoti scholam contra insultus aduersariorum defendit. Hunc, conque-
ritur

1) Lugdun. 1559. fol. vid. Моск. о. г. 1. с. р. 88.

ritur BARTHOLOMAEVS MASTRIVS ^m, sua quaedam descripsisse; id quod facile quidem fieri potuit; inter Scholasticos vero vix plagii nomen meretur, eo quod communi consuetudine omnes se mutuo exscribant tradantque naenias easdem. Idem MASTRIVS cum BONAVENTURA MELLVTO, in Sicilia ordinis sui prouinciali, Aristotelem Scotto vindicandum esse, huncque vera ratione Peripateticam dialecticam explicuisse, contendit, editis *disputationibus in organon Aristotelis, quibus ab aduersariis veteribus Scoti logica vindicatur* ⁿ. Lepidum est, quod in praefatione, teste MORHOFIO ^o, tractandum sibi sumsit, doctrinam Scotisticam non humanitus tantummodo probatam fuisse, summorumque virorum elogia, quae adducit, meruisse, sed coelitus quoque confirmatam esse; ex quo vngue de toto leone iudicandum. Alia eiusdem scripta philosophica idem laudat MORHOFIVS, qui videndus.

Bartholomaeus
Mastrivus
et
Bonaventura
Mellutus.

§. IX. Melioris commatis esse visus est MORHOFIO ^p, IOANNES LALEMANDET, Burgundo-Sequanus, ordinis Minorum S. Francisci de Paula, per Germaniam, Bohemiam et Morauiam prouincialis, et iubilatus professor Viennae, vbi circa medium seculum XVII inclaruit. Huius extare, dicit Morhofius *Decisiones philosophicas, tribus partibus comprehensas* ^q, quarum prima de Logica agit, secunda de physica, tertia de metaphysica, librumque esse vtilissimum, quoniam quali per compendium proponat omnem doctrinam Thomistarum, Scotistarum et Nominalium. Et quod ad Nominales attinet, distinctissime illorum proposuisse sententias earumque differentias a ceteris, suo interposito iudicio, vt ab alio auctore non factum. Conciliatorem autem agere inter Thomistas et Scotistas, ea tamen libertate vsu, vt neutri se sectae interdum applicaret, suasque sententias proponeret atque stabiliret, destructis communium opinionum fundamentis. Logicae adiectum esse examen dialecticae Aristotelicae, Nominalium, Realium, Rameae ac Lullianae, deque illis vtilissima attulisse, deque initio Nominalium et de eorum differentia a Realibus prolixè agere; mentionem quoque facere veterum quarundam sectarum Scholasticarum nunc abolitarum etc. Vehemens haec Morhofii relatio nobis desiderium excitauit videndi libri, in vicinia editi, eo quod historiae Nominalium tantopere obscurae lucem inde accendi posse claram sperabamus. Verum omni licet adhibita industria eius tamen copia facta nobis haud est. Ex qua libri etiam in natali solo raritate conuicimus, propter defensas Nominalium partes eum euiluisse, hancque sectam si non totam exspirauisse, certe ad incitas redactam momentum non amplius inter Scholasticos recentiores mereri, id quod dudum obseruatum IACOBOTHOMASIO ^r. Nam idem fatum aliis quoque Nominalium libris euenisse,

Ioannes Lalemandet.

vt

m) Praef. libri citandi.

n) Venet. 1646. 4. vid. Морhof. l. c. p. 89.

o) Loc. cit.

p) Ibid.

q) Monach. 1645. 1646.

r) De secta Nominal. Or. XII. p. 274.

Hist. philos. Tom. IV.

R

*Martinus
Meurisse.*

*Claudius
Frassenius.*

vt contemti neglectique rarissimi facti sunt, constat ^s. Lalemandeto iungimus MARTINVM MEVRISSE, Royensem, apud Parisienses theologiae et philosophiae doctorem publicum, cuius *Metaphysicam ad mentem doctorem subtilis* ^r tribus libris comprehensam valde laudant sui ^u. Tum CLAUDIVM FRASSENIVM Minoritam Peronensem, et in maiori conuentu Parisiensi philosophiae professorem, et ordinis sui diffinitorem generalem, magnae inter suos existimationis virum, quam vero valde turbavit agitata cum Natali Alexandro controuersia, et obiectum ob *Disquisitiones Biblicas* plagium, de quo alibi dicendum. Nobis hoc loco memorandus est, ob editam Parisiis ^x *philosophiam academicam ex selectissimis Aristotelicis ac Scotisticis rationibus et sententiis, breui ac perspicua methodo adornatam*. In quo libro perspicuitatem laudat MORHOVIUS ^y. Ex his paucis de reliquis Ordinis Minorum philosophis faciendum est iudicium. Plures enim adducere nec institutum postulat, nec e re Lectoris est.

*Scholastici
Cistercienses.*

*Angelus
Manriquez.*

§. X. Cisterciensium ordo, theologiae se magis asceticae addixit, Bernardi et Norberti exemplis excitatus, (quos Scholasticam philosophiam et theologiam transuersis oculis fuisse intuitos, suo loco monitum) quam his Scholasticorum mysteriis, vt ex catalogis scriptorum Ordinis Cisterciensis ab ANGELO MANRIQVEZ ^z et CAROLO DE VISCH ^a concinnatis, constat. Cum vero Scholastica theologia, non obstante laudatorum abbatum indignatione, vires in ecclesia fumeret, et imperium obtineret, haec quoque familia his sacris initiari se passa est, et vt eam fulciret, philosophiae quoque Scholasticae operam locauit suam, inque ea famam quoque haud incelebrem consecuta est. Ex multis pauca more et instituto nostro damus, libasse has lautitias contenti. Inter Hispanos Cistercienses Scholasticae subtilitatis laude floruit ANGELVS MANRIQVEZ, Burgis ex nobilissima Manrique gente natus. Qui cum ingenium nactus esset et fertile et acutum, in Hortensi coenobio Cisterciensium religione suscepta, tanta industria eoque successu philosophicis et theologicis scientiis se immerfit, vt teste CAROLO DE VISCH ^a, *profundissimis quibuscunque theologis et vniuersitatum professoribus admirationi esset, et non populo magis facundia eius placeret, quam externis regionibus ac prouinciis probata fama scriptisque eruditio*. Orator itaque facer in celeberrimas Hispaniae vrbes et in aulam quoque Philippi IV, anno MDCXXXVI vocatus, magnisque etiam in rebus consiliarius adhibitus est, a Cisterciensi quoque per Hispaniam congregatione Salmanticensi collegio praefectus. Sed et huius vrbes Academia, quae inter Hispanas eminet, ob eruditionem Scholasticam eum scientiarum harum principem

^s) Exemplum esse potest SALABERTI Logica in Nominalium via, de cuius raritate in antecedente Tomo quaedam diximus.

^r) Paris. 1623. 4.

^u) Vid. МОРНОВ. I. c. p. 90.

^x) 1657.

^y) pag. 88.

^z) In Annalibus Cisterciensibus.

^a) In Bibliotheca scriptorum ordinis Cisterciensis.

^a) Loc. cit. p. 21.

cipem sibi sociavit primumque Scoti, ac deinde Thomae Aquinatis cathedrae praefecit, tanto suae gentis applausu et calculo, ut concordi scriptorum eius aetatis consensu illius temporis magister, doctor angelicus, et Salmanticensis Academiae Atlas appellaretur. Quae eius celebritas ei tandem generalatum sui Ordinis et tiaram episcopalem Pacis Augustae conciliauit. Ordini is suo famam comparavit cum variis scriptis historiam eius illustrantibus, inter quae *Annales Cistercienses*^b eminent, tum commentariis Scholasticam theologiam et philosophiam explicantibus, quorum syllabum exhibent DE VISCH^c et ANTONIVS^d, qui videndi. Invidendis eum elogiis extollunt Hispani, ut sunt laudatores immodici, ex quibus colligimus, in intima eum huius scientiarum generis mysteria ex sententia suorum penetrasse. Obiit anno MDCXLIX.

§. XI. Gomezia gens multos viros doctos Hispaniae dedit^e. Ex eis de philosophia Scholastica praeclare meruit BARTHOLOMAEVS GOMEZ, Vallis Paradisi in Hispania monachus Cisterciensis. Hunc ingenio fuisse acuto et ad disciplinas quaslibet capeffendas quodammodo natum, scribit CAROLVS DE VISCH^f. Ad Meyrense, celeberrimum Ordinis sui, philosophicum collegium missus summo cum applausu philosophiam diu docuit, parique profectu ac fama theologiam quoque illi iunxit: hisque meritis ita se suis commendavit, ut monasterii sui prior tandemque abbas, totiusque congregationis diffinitor crearetur. Laudat impense eius commentarios logicos, phycos, et metaphysicos velut doctos solidosque CAROL. DE VISCH^g, qui videndus. Idem MARSILIVM VASQVESIVM ex hoc ordine praeclarum Scholasticae doctrinae professorem commendat; qui suscepto ordine apud Romanos philosophiam et theologiam diu docuit in Tusciae prouinciae monasteriis, ac postmodum etiam publice in academiis Florentina ac Ferrariensi: praeterea archiepiscopi Florentini et Ferdinandi I. magni Hetruriae ducis theologus, vir magni nominis et praeclarae inter suos famae, denatus anno MDCII. Is in *uniuersam Aristotelis philosophiam Tomos octo commentariorum*, et eiusdem generis librum in *ethicam Aristotelis* reliquit, de quibus eius scriptis, ut et libro de auxiliis valde commendato videndi NIC. ANTONIVS, CAR. DE VISCH^h, alique. Hunc a Gabriele Vasquesio celeberrimo itidem philosopho Scholastico distinguit ordo: ille enim Iesuitarum partes amplexus est, hic Cisterciensium. In eadem Hispania in theatrum philosophicum prodiit PETRVS DE OVIEDO, (cum Francisco Quiedo Iesuita non confundendus) Hortensis monachus, sanguine, moribus et doctrina, iudice C. DE VISCHⁱ, illustris, et politico pariter ac ecclesiastico regimine clarus. In S. Claudii collegio Galetiae primum,

Bartholomaeus Gomez.

Marsilius Vasquez.

Petrus de Oviedo.

R 2

MOX

b) Tomis IV. Eugd. 1642 seq. fol.

c) Loc. cit.

d) Bibl. Hisp. nou. T. I. p. 71 seqq.

e) Vid. quos nominat KOENIG. Bibl. p. 373.

f) l. c. p. 52. ANTON. l. c.

g) Loc. cit.

h) ll. cc.

i) Ibid. ANTON. l. c. MANRIQUEZ loc. cit. Tom. II. in calce.

mox publice in Complutenſi academia philoſophiam docuit, deinde a Philippo III, Hiſpaniarum rege, ad archiepiſcopatum Dominicopolitanum in Hiſpaniola Indiae Occidentalis parte euectus, indeque translatus ad cathedram Quitenſem, in regno Peruano, anno MDCXLVI autem archiepiſcopus Charchenſis in eodem regno creatus quinquennio poſt obiit. Huius *Commentaria in dialecticam, logicam et phyſicam* Ariſtotelis valde extollunt Ciſterciensis historiae literariae ſcriptores DE VISCH, MANRIQUEZ, IONGELINVS aliique.

Ioannes Caramuel Lobkowitz.

§. XII. Nemo tamen inter Ciſtercienses philoſophantes praeclarius de philoſophia meruiſſe viſus eſt, quam IOANNES CARAMVEL LOBKOWIZ, ſingularis ingenii homo, interque praecoces et paradoxos eruditos numerandus, qui ſuo tempore diuerſiſſima virorum doctorum meruerunt iudicia cenſurasque. Natus eſt Madriti X. Cal. Jun. anno MDCVI, et adoleſcens adhuc mathematicarum diſciplinarum ſtudiis totum ſe immerſit^k. In quo ſcientiae genere cum Ioannem Eſronitam patriarcham^l montis Libani praeceptorem haberet, eius eruditionem immenſo diſcendi ardore ſuperavit, tanta felicitate, vt problematibus ſoluendis, planetarumque motibus determinandis ſufficeret, quamvis nondum Latina noſſet, ſi fides NIC. ANTONIO^l. Tabulis vero motuum coeleſtium compoſitis, futurae eruditionis ſpecimen luculentum edidiſſe aſſerit CAROLVS DE VISCH, cui ſi credendum, dubitandum omnino eſt de eo, quod Antonius retulit, vt recte obſeruatum HADR. BAILLETO^m. Humanitatis vero ſtudiis addictus dici non poteſt, quanta celeritate inſtitutiones grammaticae atque poëticae artis didicerit, et ad rhetoricam tranſierit, nec male eum ac ſine meditatione tempus in hiſ ſcientiis collocariſſe, ex nouis, quae orbi literato contemplanda exhibuit, ſyſtematibus intelligi poteſt, et vel inde diſcitur, quod Ouidiana vena centum vnus horae ſpatio verſus fundere conſueuerit. Verum aliis quoque inuentionibus atque obſeruationibus prodigioſam iuuentutis eruditionem et ingenii ſingularis foecunditatem demonſtrauit, quas tamen enarrare huius loci non eſt. Dabunt, quantum fatiſ, historiae literariae Caramuelis interpretes. Ex Hiſpania in Belgium delatus, cum philoſophiae et theologiae myſteria omnia pernouiſſet, magnae doctrinae fama vbique admirabilis viſus eſt. Semper enim noua tentabat, et ingenii miracula explicare moliebatur. Quae cauſa fuit, cur vindicata TRITHEMII fama a necromantiae ſuſpicionem eius *Steganographiam* cum clauibus, quibus coniurationum myſteria in iis contenta commode referari poſſunt, ediderit. Facundia autem eius tanta tamque accepta fuit, vt a rerum Hiſpanicarum in Belgio moderatore ſummo expeteretur, qui ipſi a concionibus aulicis eſſet. Ille vero aulae ſplendori Muſarum otia praeferens, munus hoc recuſauit, et in Dunenſi coenobio Brugis tum translato monaſtica Vota, Cister-

i) Patre Belga, matre Germana.

k) NIC. ANTON. Bibl. Hiſp. nou. T. I.

l) pag. 178.

m) De praecoci eruditione puerorum p. 347.

Cisterciensium formulis firmavit. Tum Louanium in bonarum artium et pulcherrimarum disciplinarum emporium delatus, tanto eruditionis fulgore omnium oculos perstrinxit, ut anno MDCXXXVIII suprema laurea theologica ornaretur. Ordinario autem studiorum cursu non contentum Caramuelis ingenium, orientalium quoque linguarum, et praecipue Sinenfium, discendarum studio totus occupatus fuit, et noua atque singularia per omnem fere encyclopaediam molitus est. Quibus rarissimi et insoliti ingenii speciminibus ita se vbique commendauit, ut et principibus esset gratissimus, et ipsi summo pontifici valde commendaretur, cum edito *Theologiae dubiae* libro, qui atheorum atque impiorum quorumuis obiectiones continebat, et valde suspectum Caramuelem reddiderat, ita se Romae defendisset, ut ipsum pontificem, totumque, qui praesentes erant, cardinalium collegium in stuporem verteret. Et fortasse galerum cardinalitium prodigiosa illi meruisset eruditio, nisi liberius Romanae aulae vitia perstrinxisset. Episcopus tamen Satrianus constitutus est, in Bohemiam quoque delatus. Inerat ei ingenium vere paradoxum, sciendique immensa cupido: nullum enim disciplinae genus fuit, in quo nouam ipse viam non tentauerit, spretis veteribus, magnaue sui fiducia nouis promissis. Fatendum tamen imaginationis foecunditatem, et ingenii luxuriam iudicii maturitatem suppressisse, et in externis eum magis haesisse emendandis mutandisque, quam in ipsis scientiis suae integritati restituendis, imparatumque fuisse a veteris eruditionis praefidiis, quam contemnit magis quam intellexit. Vnde qui eius acumen et eloquentiam laudarunt, desiderarunt iudicii accuratorem, et exorbitantis imaginationis moderationem. Ex quo intelligi potest, quam in theatro philosophico personam Caramuel sustinuerit. Qui licet totam disciplinarum catenam innouare sibi constituisset, quo nomine inter reformatores philosophiae ferri meruit, fatendum tamen, eum nouam magis scholasticam philosophiam nobis dare voluisse. Immenso autem studiorum ardore et inexpugnabili industria vsus, innumeris libris scribendis ^p animum adiecit, quorum feriem seu catalogum ipse conscripsit, et publicauit Francofurti, subiungendum suae *Theologiae fundamentali* ^q, ex quo quam proluxa vastaue fuerit Caramuelis eruditio, intelligitur. Totam illam cateruam scriptorum in nouem classes, siue cursus distribuit, liberalem, mathematicum, musicum, chirosoficum, philosophicum, theologicum, Scholasticum, moralem philosophicum, moralem theologicum, scripturarium. Quibus classibus tot noua scientiarum genera, tot tantasque veterum emendationes, immutationes et augmenta promittit, ut facile Hispani hominis magniloquentiam sentias. Quae tamen hoc loco referre omnia paginae angustia institutisque limites non patiuntur. Quae autem in philosophia immutare fategerit, omnino hic enarranda sunt, in qua no-

R 3

uum

n) Conf. HENR. BOECLER Bibliogr. crit. p. 609.
o) Vid. qui ei oppositus est liber, cuius titulus: Anti-Caramuel.

p) Inter polygraphos referendus ob plurima scripta. Conf. VAL. ANDREAE Fast. Louan. p. 143.
q) Eum totum exhibet C. DE VISCHE p. 178. 19.

uum eruditionis Scholasticae vultum fingere conatus est. In cursu scilicet mathematico, mathesin promittit audacem, in qua omnes controuersiae logicae, physicae et metaphysicae solo circino et regula dilucidandae sint. In cursu musico philosophiam musicam offert, quae ab effectis regreditur ad causas, et vocis sonorae considerationem secundum decem praedicamenta instituit. In cursu chirofophico omnes scientias veteres pugno se comprehensurum promittit, daturus quoque chirodialecticam, quam definit contentiosam et bellatricem facultatem veritatem propugnandi manu clausa. Cursum vero philosophicum, a grammatica speculatiua exorditur, recte monens, multa huc pertinere, quae solent in logica tradi: id quod de logica Aristotelica est verissimum. Logicam ipsam vero in vocalem, scriptam et mentalem diuidit, prout nempe ratiocinia vel voce, vel scripto, vel mente comprehenduntur: in quo Caramuel ex parte recentiores affectas habuit, qui hermeneuticam et methodologiam ab ipsa ratiocinandi arte distinguunt, et velut peculiare eius partes considerant. Vidit quoque satis acute Caramuel, conuertentes conuersasque propositiones, quas calamus et lingua distinguit, si pure sint mentales, coincidere: inque syllogismo intellectuali vtramque praemissam coexistere, adeoque denominationem locum habere in vocibus et scriptis, non in mente: et quia omnes syllogismi, imperfectos quos vocant, aut conuersione terminorum, aut praemissarum transpositione ad perfectos reduci possint, ideo in intellectu nonnullos esse imperfectos: vnicum vero et simplicem syllogismum mentalem concinnatum in Barbara esse vertutnum quendam logicum, quendam Proteum dialecticum, qui ad viginti et triginta etiam formulas et modos vocaliter possit reduci. Et hinc summam intellectus potentiam et summam linguae impotentiam nosci posse. Talia multa in reformatore dialectico se comprehendisse innuit. Huic subiicit seueram argumentandi methodum reformando abusui haud paucarum vniuersitatum destinata; item parallogicam, quae entia rationis extare negat, et illa sola esse entia labii monet, vt semel proscribantur a gymnasiis chimaerae et figmenta rationis, et securiores nascantur consequentiae. A logica ad metaphysicam progressus, metalogicam constituit, in qua vniuersalium et praedicabilium doctrinam explicat; illi comitem iungit philosophiam primam, in consideratione et examine primorum principiorum et axiomatum ex iis enatorum occupatam: itemque metaphysicam puram, quae systematis praedicamentorum coordinationem et contextum tradit. In ea disciplina scholam instituit nominalem, explicandis nominibus philosophicis et detegendis innumeris logomachiis in philosophia et theologia destinata, tum realem, ens variis modis reallibus inter se distinguentem; porro modalem, formalem, expressiuam, negatiuam, actionalem, localem, magneticam et chemicam. In ea, vt specimen, Lector, habeas nouae philosophiae, Scholasticae agit de ente chmico, eius praedicamentis decem, de principiis et causis chemicis,
de

de coelo et mundo chemico, de anima vegetatiua, sensitua et rationali chemice considerata, immo de theologia quoque et vaticiniis chemicis, ex quibus intelligatur, in ordine rerum immaterialium dari aliquid spirituale, quod sit analogum luci corporeae. His addit *παραδοξώτερα* scholam infinitam, circa infinitatem, immensitatem et aeternitatem occupatam; scholam eucharisticam, sacramentum venerabile philosophice considerantem, scholam miraculosam, et scholam deiformem. Verum nec ab heterodoxa metaphysica considerandisque atque refutandis philosophorum systematibus physiologicis abstinuit, et historiam philosophiae criticam promittit: iudicaturus de Democrito, Empedocle, Pythagora, Platone, Aristotele, Virgilio, Thoma, Scoto, Lullio, Ramo, Paracelso, Lorca (quem inter Cistercienses Hispanos in pretio esse et propter dogma de gratia et peccato, totam dialecticam, physicam et metaphysicam, immo utramque theologiam, naturalem et moralem alterare dicit.) De Ioanne Marco, Mannagetta, Cartesio, Helmontio, Valeriano, aliisque. Inter quas eius censuras sunt nonnullae, quae satis probant, non defuisse Caramueli ingenium excellens, et multam veri cognitionem, qua plus praestitisset, si obruere multitudine rerum et nouaturientis animi luxuria iudicii aciem noluisse. De Aristotele enim pulchre: *In magno tametsi olim honore apud ethnicos, apud catholicos damnata fuerunt eius dogmata, proscriptaque ab ordinibus religiosorum, et quia humana omnia caduca, et inconstantia, iterum reuocata et euecta a Scholasticis, sed tandem iterum excussimus seruire iugum, et veritatem vnā potius hodie, quam totum Peripatum curamus.* De Cartesio autem, tum vix surgente vaticinatur, *pauculis opinionibus decircinatis aut sublaris, ceteras irrepere, et fore aliquando communes.* Sed et reliquae eius censurae legendae sunt, dignae quae excutiantur, quaeque satis probant, Caramuelem plus valuisse in iudicandis aliorum opinionibus, quam propriis iudicio subigendis. Metaphysicam sequitur physica, quam constituit naturalem, elementarem, coelestem meteorologicam, vegetatiuam, sensitiuam, humanam, angelicam, mediam, diuinam, et mathematicam. Et simili fere modo moralem philosophiam ordinat, ita vt orthographiam moralem, grammaticamque moralem faciat, vbi declinationes, coniugationes, casus, numeri, tempora etc. moralium occurrunt. Grammaticam quoque sacramentalem excitat, falsus, plerasque disputationes sacramentales esse grammaticas. Tum thesaurum moralem, logicam moralem, ad leges et regulas primum reductam, praxin iudicalem, metaphysicam moraliter examinatam, physicam et medicinam moraliter examinatam: politicam speculatiuam et hyperethicam, in qua de virtute, peccato, beatitudine, poena et Deo tractatur. Et ab his demum ad theologiam transit. Quam ideam systematis Caramuelis accurate considerantes reapse id speramus pronunciaturos esse, quod supra de Caramuele diximus.

Scholastici ex
societate Iesu.

§. XIII. Maxime vero inter ordines religiosos, qui Romanae ecclesiae subiacent, societas, quae Iesu nomen gerit, in hoc philosophiae genere magnam famam meruit. Ea enim ut literaturae genus omne, ita philosophiam quoque docere a moderatoribus iussa, reliquorum diligentiam propagandaeque eruditionis studium multis se superasse parafangis dudum sibi visa est. Multum hac gloria superbit, qui *Apologiam pro societate Iesu* scripsit PETRVS STEVARTIVS ^r, ipse ab iis, quibus talia cordi sunt, legendus, conferenda autem, quae passim ex hac ipsa ecclesia viri docti monuerunt ^s: nobis enim haec prolixè exponere institutum vetat. Illud laudi celeberrimae societati merito tribuendum, praeclare illam de Scholastica philosophia et theologia meruisse, et superare eam reliquos ordines numero philosophantium. Magnum vero eorum catalogum texere heic liceret, si Scholasticae philosophiae historia esset scribenda: verum generali tractationi insistentes celebriores tantum nonnullos adducemus; reliquos enim facile huius particulae historiae literariae cupidus ex PHILIPPI ALEGAMBE, PETRI RIBADENEIRAE et NATHANAE-LIS SOTVELI *Bibliotheca scriptorum societatis Iesu*, quos praecipue auctores sequimur, discet. Praeripuerunt autem aliis philosophiae Scholasticae laude famam Petrus Hurtado de Mendoza, Gabriel Vasquez, Paulus Vallius, Balthasar Tellez, Franciscus Suarez, Franciscus Toletus, Antonius Rubius, Franciscus de Quiedo, Rodericus de Armaga, Franciscus Alphonfus, Franciscus Gonzalez, Thomas Comptonus, Ioannes Baptista Ricciolus, et collegium Conimbricense, celeberrima inter suos nomina. De quibus singulis strictim quaedam dicemus, ne eorum merita in Scholasticam philosophiam vilipendisse videamur.

Petrus Hur-
tado de Men-
doza.

§. XIV. PETRVS HURTADO DE MENDOZA Hispaniae prouinciam Biscalam natale solum habuit. Susceptis in societate Iesu votis anno MDXCV, philosophiam primo Pampeloniae, deinde theologiam Valdaleti et Salmanticae triginta annos docuit, munere simul qualificatoris quem vocant, siue censoris sacrae inquisitionis functus, denatus anno MDCLI. Scripsit *Commentarios in vniuersam philosophiam*, teste ALEGAMBE ^r sexies recusus, ex quo prima vice anno MDCXXIV prodire. Magnae illum inter suos auctoritatis esse, inde intelligitur, quod passim ad eum alii prouocent. Non confundendus autem est cum aliis huius nominis, et imprimis, qui celebre quoque nomen eruditione theologico-Scholastica sibi comparauerunt, Antonio de Escobar Mendoza, Petro Gonzalez, Ferdinando et Francisco de Mendoza, Didaco Hurtado comite de Mendoza, cui plurimum inter Hispanos debent elegantiores literae et mathesis, et cum aliis, quorum notitiam suppeditabit NICOLAUS ANTONIVS ^u. Συμπατριότην is habuit GABRIELEM VASQUEZ inter celeberrimos philosophos et theologos suae scholae numerandum. Natus

Gabriel Vas-
quez.

^r) pag. 42.
Auis aux plenipotenciaires a Soissons.

^s) Vid. inter plura alia

^t) pag. 677.

^u) In Bibliotheca Hispanica noua Tom. II.

tus is Bellomontii, in Complutenſi academia philoſophiam et theologiam didicit, et ob ingenii et eruditionis praefantiam vix XXV annos natus, vtramque in eadem ſchola docuit, variisque collegiis etiam Romae profeſſor datus eſt, rebus humanis ereptus, Compluti an. MDCIV quinquagenarius. Quanta philoſophicae et theologicae eruditionis laude atque exiſtimatione inter ſuos vixerit, ex elogiis larga manu a SOTVELO^x ſuppeditatis diſcimus. Inter *opera eius Tomis X* comprehenſa extant etiam *Diſquiſitiones metaphyſicae*, ſeparatim quoque Antverpiae^y excuſae, in quibus eas poſitiſſimum diſputationes metaphyſicas perſequitur, quae ad theologiam ſolent transferri; vnde magna ſubtilitate quoque de Dei exiſtentia, de vnione perſonali, de duabus naturis in Chriſto, de diſtinctione perſonarum in diuinis, deque ſimilibus agit. In his more ſuorum alios Scholaſticos nonnunquam refutat, ſi non ſolidiora, certe ſubtiliora et acutiora ipſe daturus^z.

§. XV. PAVLVVS VALLIVS Romanus fuit, vbi in Ieſuitarum collegio philoſophiam et theologiam docuit, depoſuitque mortalitatis exuias Peruſii anno MDCXXII. Acumen philoſophicum autem demonſtrauit in *Commentario in Logicam Ariſtotelis*, Lugduni^a edito, in quod vaſtiſſimum opus eum conieciſſe omnium pene Scholaſticorum dogmata, ea quoque diligentiffime contuliſſe et congeſſiſſe ait MORHOFIVS^b. Editurus etiam erat ſimiles commentarios in reliquas philoſophiae partes, ſed morte praeuentus exſequi conſilium non potuit^c. In Luſitania Olyſſipone editus eſt BALTHASAR TELLEZ, an. MDXCV, qui in patria primo quidem rhetoricam, mox philoſophiam, et deinde theologiam docuit, prouincialis quoque ordinis ſui per Luſitaniam factus, praeſuitque rector collegio in patria cum fatis concederet anno MDCLXXV valde ſenex. Docuiſſe etiam in Academia Conimbricenſi auctor eſt MORHOFIVS^d, qui valde laudat eius *Summam philoſophiae vniuerſae*, ab ANTONIO BERTIERIO editam apud Pariſienſes^e, eo quod vſum in theologia habeat, quoniam immiſcuerit quaefiones theologicas, quae illo tempore inter philoſophos quoque agitabantur. Thomam autem vbique ſecutus, Scholaſticorum ſequiorum ſententias iunxit, et ſpinoſo argumento aliquid elegantioris literaturae, praecipue in phyſica adſperſit. Magna porro ingenii atque eruditionis celebritate inter Hiſpanos vixit FRANCISCVS SVAREZ, Granatenſis, nobili genere anno MDXLVIII editus, qui cum iuriſprudentiae ſe tradere cupiuiſſet, ad Ieſuitarum ſocietatem pertractus eſt, hocque ſtadium inuitus initio ingreſſus magna poſtea felicitate et eruditionis celebritate emenſus eſt. Magno enim applauſu philoſophiam et theologiam Segouiae, Romae, Compluti, Salmanticaeque

Paulus Val-
lius.

Balthasar
Tellez.

Franciscus
Suarez.

x) p. 272.

y) 1618. 8.

c) Bibl. Soc. I. p. 655.

z) Conf. Морн, I. c.

d) I. c. p. 95.

a) 1620. fol.

b) Loc. cit.

e) 1644. Vol. duobus.

caequae docuit, tandemque a Philippo II ad Conimbricensem cathedram vocatus, Eboraeque theologiae doctor creatus viginti annos publicus professor inclaruit, tantis elogiorum plaustris oneratus, ut pene supra humani ingenii modulum extolleretur: ut ex iis disci potest, quae collegerunt *Bibliothecae scriptorum S. I.* auctores. Recte vero in eo, quam raro exemplo demonstravit, modestia literaria laudatur, cuius specimen esse potest, quod scripta sua, antequam ederentur, discipulis legenda et examinanda tradiderit, quodque ab amaritudine et dicacitate sibi temperaverit. Adeo vero meditationibus intentus fuisse dicitur, ut fere extra se reperetur. Obiit septuagenarius anno MDCXVII. Frequenter autem scripta eius philosophica ab iis leguntur, qui hoc philosophiae genere delectantur. Inter ea sunt *Disputationes metaphysicae* multoties recusae. Diligentiae laudem ei vindicant XXIV tomi scriptorum, quorum syllabum exhibet ALEGAMBIUS ^f. Plura de eo praeter ANTONIVM ^g MIRAEVM ^h, MORHOFIVM ⁱ aliosque dabit, qui vitam eius conscripsit ANTONIVS IGNATIVS DESCAMPS ^k.

Franciscus
Toletus.

§. XVI. Porro inter Iesuitas Hispanos eminuit FRANCISCVS TOLETVS, Cordubensis, qui vitalem auram primum hausit anno MDXXXII. Dominicum Sotum in Salmanticensi academia praecceptorem nactus, iunctis diligentiae et ingenii praestantissimi viribus in philosophiae Scholasticae mysteria tam cito tamque feliciter penetravit, ut annos viginti tres natus in eadem schola philosophiae tradendae sufficeret. Delecta anno MDLVIII societate Iesu, recens tum condita, Romam ire iussus est, philosophiam Aristotelico-Scholasticam, posteaque theologiam Thomisticam traditurus, quod utrumque magno applausu factum est, illique celeberrimam famam peperit. Facundia quoque memorabilis Pio V, P. M. eiusque successoribus per XXIV annos a concionibus sacris fuit, prudentiamque et fidelitatem tanto studio et fervore sedi Romanae comprobavit, ut non modo pontificis legatus ad Germanos et Polonos mitteretur, sed et cardinalium collegio adscriberetur ^l, unde eius notitiam dare solent, qui literariam purpurae ecclesiasticae historiam scripserunt. Vix vero annum vnum isto axiomate coruscaverat, cum consilium caperet illo se abdicandi, prohibitus tamen a pontifice est, qui frequenter eius consiliis utebatur. Tandem naturae debitum exsoluit anno MDXCVI, tum ob dignitatem, tum ob eruditionem magnificis laudibus elatus. Inter quae eius encomia dignum est lectu, quod ei scripsit IAN. NIC. ERYTHRAEVS ^m, qui imprimis perspicuitatem eius laudat, et obiisse ait, multis aureorum millibus relictis. Inter scripta plurima, quae magna eruditionis laude edidit, sunt etiam *Introductio in logicam, commentarius in uniuersam*

f) Loc. cit. g) loc. cit.
h) De Script. Sec. XVII. p. 285.
i) Loc. cit.
k) Edita est Perpignani 1671. 4.

l) Intulisse societati hunc honorem primus, dicitur in eius epitaphio apud MIRAEVM l. c. p. 236. et SCHOTTVM Bibl. Hisp. T. I. p. 296.
m) Pinacothec. l. p. 136.

sam Aristotelis logicam, libri octo de physica auscultatione, libri duo de generatione et corruptione, libri tres de anima; in quibus cum non scholastice modo, sed Peripatetice philosophari constituerit, magnam eo nomine gratiam apud Aristotelicae philosophiae amatores inuit ⁿ: quemadmodum, *Summa casuum conscientiae* inter scripta moralia Romanae ecclesiae vehementer laudari solet ^o. Toletus ex eadem Hispanorum gente iungimus ANTONIVM RVBIVM, Compluti Iesuitarum societati an. MDLXIX aggregatum, in qua literarum sede primo philosophiam docuit. Missus postea in Indiam Occidentalem, in Metropoli Indiae australis, Mexicana vrbe, triennio philosophiam, et duodecim annos Thomisticam theologiam professus est. Redux summis theologiae honoribus auctus Compluti reliquos vitae dies docendo exegit, fatis concedens anno MDCXV. Dignus ideo, qui memoretur, quod eius imprimis opera Scholastica philosophia inter Americae gentes personuerit. Inde enata *Logica Mexicana* ab eo edita, librique physici *de auditu, de coelo et mundo, de generatione et corruptione et de anima*. De quibus eius scriptis eorumque editionibus videlicet ANTONIVM, RIBADENEIRAM, MORHOVIUM in libris notissimis.

Antonius
Rubius.

§. XVII. Fuerunt et alii inter societatis Iesu philosophos, qui ex Hispania oriundi in hoc eruditionis genere palmam reportarunt, Laudatur eo nomine RODERICVS DE ARRIAGA Lucroniensis ex Castilia natus anno MDXCII. Is philosophiam Valdoleti et Salmanticae docuit; a superioribus autem in Germaniam missus ^p, in vniuersitate Pragensi Scholasticae philosophiae mysteria tredecim annos tradidit, duodecim annos cancellarii munere, et viginti annos praefectura generali studiorum vsus. Romam ter missus apud Vrbanum VIII, Innocentium X, graciosus et Ferdinando III imperatori quoque charus fuit. Mortalitem deposuit Pragae anno MDC LXVII ^q, relicto *Cursu philosophico et theologico Lugduni* ^r edito. Curiosius elegantiusque hoc opus scriptum esse iudicat MORHOVIUS ^s, quam ceterorum in hoc genere, praesertim cum ad obseruata recentiorum respiciat, exemplum Francisci Suarezii secutus. Quibus addimus, eum recentiorum obseruationes non modo consuluisse, sed multoties quoque adhibuisse probauisseque, repudiatis Scholasticorum opinionibus. Quas licet, praecipue in physicis, haud raro dimisisset, methodum tamen Scholasticorum vbique adhibuit, nempe vt obiectionum pondera exponeret, et ad illas responderet. Quod cum interdum minori felicitate fecisset, occasio inde enata PETRO DE VILLEMANDY ^t, eum Pyrrhonismi reum agendi,

Rodericus de
Arriaga.

S 2

eo

n) Vid. MORHOF. l. c. p. 90.
o) Vid. Io. FRID. MAYER Bibl. script. theol. Moral. pontif. p. 107.
p) Eo tempore simbrias suas valde societas in Bohemia dilatauerat, occupatis monasteriis, quae restitui iusserat edictum Ferdinandi II, qua re magnam sibi apud alios ordines inuidiam con-

stauit. Vid. Theologie morale des Jesuites p. 69 seqq.
q) AERGAMBE p. 728. ANTON. p. 219. BAYLE T. I. art. Arriaga p. 353.
r) 1669. fol.
s) Loc. cit.
t) Scepticismus de bell. c. 2. p. 13.

eo quod in philosophicis et theologis scriptis ita singula quaeque tra-
ctet, ut aliorum fere omnium opiniones variis rationibus infirmare stude-
at, suas autem leuissime fulciat. Verum perperam hoc ei obiici recte
obseruauit PETRVS BAYLE ^{u)}, cum id praeter intentionem et opinio-
nem suam illi acciderit: nec rarum quoque est inter Scholasticos, qui cum
more suo innumera dubia nestant et congerant, ita interdum mole obie-
ctionum obruuntur, ut responsum exitum et pondus vel ipsi non
videant, vel lectores tamen non perspiciant. Illud sane dolendum, virum
acutum et doctum, cui recentiorum philosophorum obseruationes non fi-
ne cura lectae et obseruatae sunt, maluisse in dumetis Scholasticis haerere,
professionis suae vinculis impeditum, quam saniolem philosophiam sequi.
Multus ideo in eo notando fuit Ioannes Marcus Marci.

Franciscus
Alphonsus.

§. XVIII. Inter huius quoque religionis sodales ex Hispania oriundos
celebratur FRANCISCVS ALPHONSVS, Complutensis doctor, ubi post philosophiam
duodecim annos theologiam docuit, tantamque in
tradenda philosophia auctoritatem obtinuit, ut eius philosophica scripta in
omnibus fere huius societatis collegiis obtinerent. Edidit *Cursum philoso-
phicum* quinque tomis constantem, quorum primus summulas, secundus
logicam, tertius physicam, quartus libros de generatione et corruptione,
quintus libros de anima et quaestiones metaphysicas complectitur. Ex
qua distributione librorum intelligitur, Aristotelem eum ducem, sed more
Scholastico sibi delegisse ^{x)}. Comitem huic damus FRANCISCVM

Franciscus
Gonsalez.

GONSALEZ, Sanctae crucis natum, qui diu in collegiis sui ordinis Hi-
spanicis philosophiam professus est, Romam postea vocatus, ubi poeni-
tentiarii pontificii munere functus est, denatus anno MDCLXI, relicta
*Logica tripartita, vocali, reali, rationali, ex mente Aristotelis, S.
Augustini et Thomae, itemque, philosophia, de physico auditu, et me-
taphysica*, quae vno falce comprehensa ^{y)}, *cursum philosophicum* constitu-
unt. His vero Hispanis philosophis CONIMBRICENSE COL-
LEGIVM addendum est, ex Lusitaniae Iesuitis enatum. Eorum enim
nomine vsus EMANVEL GOES S. I. edidit *Commentarios in libros
Aristotelis physicorum, de coelo, meteororum, ethicorum, paruorum natu-
ralium, de generatione et corruptione, et de anima* ^{z)}. Quibus accessere
Commentarii in logicam Aristotelis a SEBASTIANO CONTO
confecti, et *problemata, quae in collegii Conimbricensis physicis com-
mentariis enodantur* ^{a)}. In quibus commentariis Conimbricensibus eru-
ditionem Peripateticam merito laudes, doleas autem eam Scholastico acu-
mine et subtilitatibus fuisse deformatam.

Thomas Com-
ptonus.

§. XIX. Non Hispaniae modo hanc ingenii Scholastici subtilitatem
datam fuisse, sed inter alios quoque populos pari felicitate societatem
hanc

u) I. c. not. B. p. 353. x) Vid. citati.

y) Romae 1639. 1645. 1655. 4.

z) Colon. 1599. Mogunt. 1600. 4.

a) Mog. 1601.

hanc in isto stadio cucurrisse, facile exemplis probari posset, si Gallorum, Germanorum, Italarumque collegia, in quibus huius ordinis sectatores ubique philosophiam profitentur, peragrare animus esset. Verum inutilis is in iucundusque labor est. Duos nobis enarrasse sufficet, THOMAM COMPTONVM Carletonum, Britannum et IOANNEM BAPTISTAM RICCIOLVM. Ille Cantabrigiae in lucem editus, Audomaropoli elegantiores literas, Leodii autem philosophiam et theologiam docuit, denatus anno MDCLXVI. Is *Promethei Christiani* nomine disciplinam moralem explicuit^b, librosque *de vniuersa philosophia*^c, edidit. Riccioli vero nomen inter mathematicos recentioris aevi celeberrimum extitit. Nam et de astronomia praeclarissime meruit, de quibus tamen meritis eius in matheos historia edifferendum est, et philosophiam quoque tetigit. Non contemnendam enim tractationem *de distinctionibus entium in Deo et creaturis* scripsit, acumine Scholastico plenam. Natus Ferrariae anno MDXCVIII, philosophiam Bononiae, Parmaeque docuit, priori loco defunctus anno MDCLXXI^d. Praeter hos, plurimos enarrare Societatis Iesu scriptores, qui de philosophia Scholastica praeclare meruerunt, in procliui esset, si his lautitiis Lector esset detinendus. Verum haec nobis ad grauiora properantibus praetermittenda sunt. Dabit *Index variarum qui bibliothecae scriptorum societatis Iesu* subiunctus est, scriptores logicae, physicae, metaphysicae^e, philosophiae vniuersae, ethicae, politicae, oeconomicae, quem consulere oportet, qui his delectatur, et copiosiora desiderat.

§. XX. Neque tamen, dum hunc Scholasticorum philosophorum catalogum ex societatis Iesu scriptoribus contexamus, putandum est, ita destitutam fuisse illustrem societatem sensu philosophandi exquisitiori, ut non ingenia exhibuerit, quae pulchrius comitiusque philosophari fuerint aggressi. Facilis enim labor esset, eorum non iniucundum dare syllabum, praesertim ex Gallicanis collegiis, in qua gente maturius desipere coeperunt cordati viri. Verum haec non ad philosophiae Aristotelico-Scholasticae historiam pertinent, sed ad reformatae eclecticaeque, et ideo heic locum non habent. Vnum ex Germania nostra philosophum adducimus, in qua semper rigidiori studio adhaesit Scholasticae philosophiae societas ista, FRANCISCVM RASSLERVM, Dillingensium professorem, virum doctissimum et philosophiae sobriae valde addictum. Qui cum aperte suae familiae femitas in philosophando relinquere reformidaret, problematica methodo adhibita Aristotelem et Empedoclem in naturali philosophia ita inter se commisit^f, ut haud obscure cautis et attentis pateret, eum philosophiae corpusculari fauere, et elementare scholae Pythagoricae systema, quale formauit Empedocles, restituere reformareque

*Societas Iesu
a melioris
philosophiae
sensu non to-
ta destituta.*

*Franciscus
Rasslerus.*

S 3

fuisse

b) Antwerp. 1652. 8.

c) Ibid. 1649. fol.

d) Bibliothec. societ. Iesu p. 416.

e) cap. XII.

f) Edito problemate physico inter Aristotelem et Empedoclem controuerso Dilingae 1685.

fuisse aggressum. Vidisse autem hunc acutissimum virum vanitatem Scholasticae philosophiae, vel ex vna dissertatione *de entibus superfluis* liquet, in qua nomina nihili, et quis nulla in philosophia res respondet, et sine mente fonos ex philosophorum, praecipue, naturalium Schola eicit, meliorique ratione sapere docet.

Aliorum ordinum Scholastici praetermissi.

§. XXI. Hi ex dictis ordinibus religiosis praeter alios in philosophia Aristotelico-Scholastica inclauerunt philosophi. Aliorum ordinum diligentiam in eodem stadio absoluendo non desiderari supra iam inuimus, facilisque labor esset, complures athletas adducere, qui in hac arena defudarunt, e. g. ex Carmelitarum discalceatorum auctorem *Collegii Complutensis*, siue *disputationum in Aristotelis dialecticam, philosophiam naturalem, libros de anima et metaphysicam*, qui est BLASIVS A S. CONCEPTIONE: et eiusdem ordinis sodalem PHILIPPVM A SS. TRINITATE, qui *Summam philosophicam ex mera Aristotelis et Thomae doctrina, iuxta legitimam Scholae Thomisticae intelligentiam* edidit etc.^b Ast cur hos similesque omittendos in hac nostra tractatione censeamus, supra rationes luculentas exposuimus, rati tam friuole Lectoris patientia abutendum haud esse. Facile restinguet fitim, qui plura haurire cupit, ex scriptoribus historiae literariae Ordinum religiosorum, qui eiusmodi scriptoribus scatent. Quaedam ex iis, licet extemporali tantum diligentia, cumulauit MORHOFFVSⁱ, quae tamen sufficere possunt, libare magis has cupedias, quam deuorare cupienti.

Parum ex hoc studio emendata philosophia Scholastica.

§. XXII. Emendatam fuisse philosophiam Scholasticam et in meliores pulchrioresque vultus reformatam, persuadere nobis forte possit magna virorum doctissimorum, quam in ea excolenda recentiori aetate posuerunt, diligentia, cum ingenio et acumine iudicii non destituerentur. Verum omnia alia euenisse, eundemque inuenustum foetum, si pauca quaedam excipias, remanuisse, candide fatendum est. Id quod nemo magno pere mirabitur, qui ad ea recte attenderit, quae in *antecedente Tomo* de natura, indole et constitutione philosophiae Scholasticae diximus. Nempe recte cohaerere philosophiam et theologiam Scholasticam, fororiorque inter se vinculo iunctas, ex vno quasi sanguine concreuisse, iisdemque parentibus genitas, mutuas sibi manus porrigere, ne ipsi forte vtriusque cultores negabunt, certe historia philosophica et ecclesiastica manifestissimis testimoniis euincit. Vna itaque mutata, alteram quoque mutari necesse erat. Ast mutari theologiae Scholasticae faciem, e re horum hominum non erat, qui et sacramenti, quod professi erant, religione, et status hierarchici emolumento constringebantur, vt eam sacrarum doctrinarum faciem, quam theologia Scholastica finxerat, utilitas confirmauerat, auctoritas Romanae aulae sacram fecerat, quantis possent viri-

Causae eius rei.

g) Ibid. 1685.

h) Conf. Мокноф. I. c. p. 99.

i) Loc. cit.

viribus laboreque indefesso conseruarent. Ita vero Scholasticae quoque philosophiae prospectum erat, sine qua natate in isto pelago non licet: haecque προπαιδεύματα illis inculcanda erant, quibus velut προμάχοις olim vtendum erat ad tuenda recepta ecclesiae dogmata. Hinc tot exempla magni inter nouos Scholasticos numeri, qui theologiam et philosophiam inter se iungentes vtramque in celeberrimarum academiarum cathedris publica voce tradiderunt, Aristotelemque Scholasticum Thomae Scotoque iunxerunt, hoc duumvirorum inter Scholasticos celeberrimorum exemplum secuti. Non inficiandum quidem inter hos ipsos, de quibus loquimur, viros doctos, fuisse nonnullos, qui oculos aperuerunt, quibusque displicuit barbaries Scholastica, adeoque ad comtorem faciem reuocare Scholasticam philosophiam conati, vel Scholasticos emendarunt, vel nitidius loqui, et elegantius philosophari docere conati sunt. Huius generis non vnum recentioris aevi literaria nobis exhibet historia. Hanc viam seculo XVI ingressus est ANTONIVS POLVS, Venetus, qui publici iuris fecit, *Nouum veritatis lumen in Libb. Aristotelis de anima, a nullo vnquam Peripatetico ita perfecte cognitum*. In eo enim libro Aristotelem cum interpretibus, maxime ex Scholasticorum grege conferre, hosque, ne Thoma quidem Scotoque exceptis reprehendere emendareque satagit. Verum parum eum promouisse, arctius Aristotelis vestigiis insistendo, vel ex vna eius, quam edidit *Digressione de circulo lacteo, in defensionem Aristotelis, aduersus omnes Peripateticos* k patet, in qua contra Scholasticos pro Aristotele pugnans circulum lacteum inter meteora referendum esse contendit. Quod quam frigidum sit, quam ineptum, vel pueri norunt astronomiae rudimenta edocti. Aliam viam seculo XVI ingressus est HONORATVS FABRI, ex societate Iesu philosophus doctissimus, qui Bellici apud Bugienses in Gallia natus anno MDCXXVI, societati Iesu votis se mancipauit, Lugduniquae philosophiam sex, mathefin octo annos docuit, postea vero in aulam Romanam vocatus, poenitentiarum pontificii in basilica Vaticana munere functus est, et superiori seculo expirante obiit l. Huic debemus, *Philosophiam vniuersam per propositiones digestam cum suis momentis rationum m*, itemque *logicam analyticam n*, *metaphysicam demonstratiuam o*, *dialogos phisicos de motu terrae et marino aestu p*, item *physicae, seu rerum corporearum scientiae tomos V, q* aliaque enarrata a SOTVELO r. In his aliam, et diuersam a Scholasticis philosophandi viam ingressus est philosophus Gallus, qui nec Aristotelem contemnit, nec Scholasticos negligit, sed vtriusque potius philosophiae se attemperat, ita tamen, vt recentiores quoque consulat, exque eorum, maxime Cartesianorum, obseruationibus lucem inferre Scholasticae philosophiae conetur, ostendens, in quibus conueniant, in quibus discrepent, quaque ratione conciliari possint.

Tentata
emendatio

ab Antonio
Polo

et Honorato
Fabri.

k) Venet. 1578.

l) Bibl. scriptor. S. I. p. 350

m) Lugdun. 1646. fol.

n) Ibid.

o) Ibid. 1648.

p) Ibid. 1655.

q) Ibid. 1669. 1670. 4.

r) Loc. cit.

sint. Ita vero nec Scholasticam philosophiam emendauit, et ad salubriora confodales reuocare potuit, qui Cartesianismi eum suspectum reddentes, (qui illo tempore adhuc recens vehementer Iesuitarum sodalitia inuisus fuit, vt infra dicendum) valde eius diligentiam improbauerunt, ita vt coactus fuerit *tribus epistolis, de hypotesi sua philosophica*^{s)}, contra eorum accusationes se defendere: nec meliorem philosophiam sectantibus placuit, qui licet laudauerint, quod Aristotelem Scholasticorum Arabumque deliriis anteposuerit, culpauerunt tamen, quod ea magis referat, quae Stagiritam dicere debere censuerit, quam quid dixerit. Id quod syncrētistis, qualem ille se praestitit, plerumque euenire solet^{t)}. Nec in morali philosophia melior ei fors obtigit, cum aduersus Antonii Arnaldi et sociorum insultus *doctrinam moralem, quae societati imputari obici- que solet, scripto Apologetico*^{u)} *dimicasset*. Ipse enim SOTVELVS^{x)} refert S. congregationem indicis libellum hunc inter prohibitos retulisse, quae quoque causa fuit, cur *notis ad notas Wilhelmi Wendrockii ad Ludouici Montaltii literas et ad disquisitiones Pauli Irenaei*, quae sub nomine fictitio BERNARDI STVBROCKII *Apologetico* eius iunctae sunt, nomen denegauerit suum, eo quod in similem censum Romae relatae essent. Ex hoc vero exemplo luculenter patet, male cessisse illis industriam suam, qui in pingendo, ornando, emendandoque hoc foetu philosophiae monstroso operam collocauerunt suam. Fatendum tamen Cartesianismi et Gassendismi famam atque celebritatem coegisse Scholasticos recentiores nouae horum philosophorum elegantiae aliquid dare, eorumque opprobriis ita cedere, vt nonnulla pulchrius dicerent, dogmata quaedam problematicae tantum assererent, et praecipue in doctrina naturali meliorem viam ingredi inciperent, id quod factus est, et iucunde enarravit in lepidissima contra Cartesium satyra P. DANIEL^{z)}. Nihil tamen in ipsa Scholasticae philosophiae natura et constitutione immutatum, sed cum elegantius loqui, et nostri temporis humanitatem spirare edocta esset, eo ipso nomine commendata est, nouisque encomiis ita elatum hoc Palladium, vt omnes intelligerent, esse e re certorum hominum, haec sacra accurate sancteque conseruari. Quod ne inuidiosius, quam par erat, dictum videatur, legenda est elegantissimi sermonis doctrinaeque viri FRANCISCI VAVASSORIS, S. I. quo non castiorem dicendi Latineque scribendi magistrum, et humanioris disciplinae defensorem societas Iesu habuit, oratio^{z)}, *quid scripturam Scholasticae iuuet*. In ea enim vir disertissimus, quod vix oculis credas tuis, omnes ingenii neruos et eloquentiae Veneres colligit, vt demonstrat, vehementer Scholasticam theologiam et philosophiam commendari posse et debere, eo quod errores refellat, ordinate cuncta digerat, et perspicue omnia proponat.

Quae

s) Mogunt. 1674. 4. has epistolas praetermisit Bibl. S. I.
t) Vid. Cl. STOLLIVS Introd. in H. L. P. II. c. 4. §. 28. p. 520.

u) Lugd. 1670 seq.
y) Iter Cartesii per mundum P. III. p. 186 seq.
z) Extat ea inter Orationes miscellas Or. X. Opp. p. 240 seqq.

Quae ita laudanda existimauit orator, vt in haec verba erumpat, digna sua quidem professione, sed indigna tantae eruditionis viro: *Ecce consecutis temporibus, singulari munere concessuque Dei exorta nobis est, diuina quasi lux et magistra intelligendi, quam Scholasticen appellant, quae sacra omnia primum dissoluta, et confusa, postea artificiose digesta componeret, ac theologiam, nondum digne satis vel tractatam, vel cognitam in honorem adduceret.* Certe mirum, haec ad inuidiam magnorum ecclesiae luminum, quae ante exortam disciplinam Scholasticam ecclesiae praefuerunt, scribere potuisse virum disertissimum, et tamen ita sui oblitum fuisse, vt in fine orationis, reuocaturus eam ad modestiam haec illam moneat: *Memento rem Christianam, cui ego te valde vtilem reor, tu fortasse nimium te necessariam putas, ipsa duodecim secula, et eo amplius, opera tua, industriaque caruisse, cum illa interim spatio toto et sua dogmata primo stabiliret, et deinceps omne genus errorum, qui alii ex aliis existerent ac renascerentur elideret.* Tanti scilicet hic pullus nonnullis videtur, vt ob illum fouendum et vetera omnia, et ipsam veritatem negligendam esse putent. Quo tamen in argumento virum hunc elegantissimae doctrinae, vel oratoris tantum partes explendo, coloremque argumento quaerendo, vel societatis officii contra animi sententiam satisfaciendo fuisse versatum, nobis est verisimilimum. Illud manifeste notum, regnare hodie in academiis Romanae ecclesiae addictis ineptum philosophiae genus, tantopere licet ab omnibus, quibus sanum iudicium est, explosum, cuius mille testimonia exhibent libelli academici, systemata philosophica, summulae logicae, theses ex vniuersa philosophia, et similia ^a quae, vt fungi, in his aruis enasci hodiernum solent; indignantibus viris cordatis ^b, ingenia haud raro praeclara et meliori philosophiae ac mansuetiori disciplinae aptissima his tricis naeniisque recti sensus et pectoris hominibus indignis per totam fere vitam detineri *. Immo tantas radices inuenisti foetus auctoritas egit, vt cum studii critici iucunditas, physicarumque obseruationum amoenitas, quaeque alia sunt disciplinarum genera, imprimis autem matheseos studium ingenia comtiora et elegantiora reddidissent, coacti tamen fuerint viri summi, et ab honestiori literatura laudatissimi pollicem inepto scientiae generi premere, suisque eam literis commendare. Quod licet incredendum videri queat, suo tamen exemplo comprobauit PAVLVS PELISSONIVS, quem vel pulchrioris disciplinae sensu, vel honestioris eruditionis copia, vel elegantioris literaturae notitia paucos habuisse eo tempore sibi pares, norunt, qui acta literaria euoluerunt, fassusque est acerrimus literarum iudex

P. BAY-

a) Exemplum luculentum afferunt acta philosoph. Vol. II. p. 290.

b) Vid. Cl. IOSEPHI GRUNVALDII Medici

Bavarici vita Ioannis Adami Moraschii p. 3.

*) Legendae Vindiciae aduersus sycophantas Iuuuenies.

P. BAYLE ^c. Is enim nescio qua vertigine actus, immemorque, quae contra barbariem Scholasticam ex sua natione declamauerint viri magni, et excelsi pariter animi atque iudicii recti, Protestantium coetus ideo, velut nanos et exigui sensus homunculos ^d exagitat, quod Scholasticam theologiam et philosophiam reiiciant, cum plurimum illi religio debeat, dogmata vero ea discutiat summa accuratione, perspicuitate et certitudine, portasque elabendi occludat haereticis praeteritis, praesentibus, futuris, ea vero, quae illi obiciuntur, dedecora, casu tantum accidisse ait, nec accusari eorum posse, Scholasticos illos quos ingenium elegans et excelsum, sanctitas vitae et innumera in ecclesiam merita veneratione fecere dignissimos. Quae omnia ita in sequentibus vrget, vt abstractionum, quaestionum in vtramque partem disceptatarum, aliarumque nugarum toties a Romanae ecclesiae doctoribus, quibus candidius pectus et sensus accuratior fuit, damnatarum patrociniū contra Leibnizium suscipiat, ad serenissimam Protestantis coetus foeminam magna rerum doctarum notitia gaudentem scribens. In quibus vero vtrum contra popellum Protestantium gigantem se, vel vt Goliathum quendam contra Dauidem praestiterit, id quod in hac epistola affectauit PELISSONIVS, sobriis mentibus expendendum relinquimus. Id vero fatemur, valde nobis suspectum esse Pelissonium, quod contra animi sententiam scripserit. Nimis enim mansuetioris disciplinae et honestiorum literarum elegantiae erat innutritus, quam vt haec ex animo dicere potuerit. Neque dubitandum esse videtur, virum doctissimum, cum a Protestantibus ad Romanae ecclesiae castra transfugisset, et multis valde dubia et suspecta esset eius conuersio, ita scribere fuisse coactum, vt fidem clero Romano et praecipue Iesuitis ac episcopis Gallicanis probaret, placeretque, defensurus ἀκρόπολιν sui coetus, contra hostem Leibnizium, cuius ingenii excelsi magnitudinem et eruditionem vastam fatis sentiebat. Verum hoc ὡς ἐν παρόδῳ; quae ea fini adduximus, vt clarissimo exemplo pateret, qua ratione factum sit, vt in tanta eruditionis et philosophiae melioris luce Scholasticae tamen nebulae durauerint, et ingeniis imposuerint magnis et elegantissimis.

*Spes tamen
sensim ma-
lum hoc im-
minutum
iri.*

§. XXIV. Quamuis autem haec ita ad nostra vsque tempora se habuerint, fatendum tamen, non abiiciendam spem esse, fore, vt haec tenebrae indies magis dissipentur, fugatisque his spectris atque lemuribus redeat in scholas, vbi haectenus illi regnauerunt, philosophia melior. Cuius lucis auroram, instantis diei praenuntiam, nostra tempora passim etiam in gente nostra, videre merito laetamur, et gratulamur patriae, in qua si non prorsus eiecta philosophia Scholastica, melior tamen rationalis, naturalis et moralis philosophiae doctrina in academiis Romanae ecclesiae addictis, passim locorum, etiam in monasteriis emergit, et negligitur

c) Dict. T. III. art. Pelisson. p. 641.

d) Le petit peuple des Protestans. Ex hoc vngue leonem disce; vid. Lettres de Mr. Leibniz

et Mr. Pelisson de la tolerance et des differends de la religion lettre II p. 268. ad calcem Miscell. Leibniz. a IOACHIMO FELLERO editorum.

tur atque contemnitur Scholasticae philosophiae sterquilinum. Cuius causae si hoc loco ob instituti nostri rationem enarrandae sunt, rationalis philosophiae cultura potissimum alleganda est, quae hoc seculo XVIII, ad quandam maturitatem succreuit, certatim in id connitentibus philosophis Gallis, Italis, Britannis, Belgis, Germanis, ut accuratae ratiocinationis regulas explicent, inanes et sine mente sonos vocesque cassas ex philosophia eliminent, accuratam demonstrandi viam, dudum a mathematicis receptam, philosophis commendent, incerta principia explodant, et quo pacto sobrie philosophandum, modesteque statuendum sit, exponant. Ita enim vanitas philosophiae Scholasticae tegi, et barbaries eius occultari amplius non poterat, sed oculos aperiri illis oportebat, qui paulo attentius philosophabantur. His accessit sermonis nitor atque splendor quidam et decora ratio in meditationibus animi declarandis adhibita, quae nostrorum temporum ingenia valde commendat, quaeque cum barbaris Scholasticae philosophiae sonis non concordat, eorumque taedium contentumque necessario parit. Tertiam his causam addimus, physicae experimentalis incrementa, regis quoque sumptibus et illustrissimarum societatum philosophicarum industria promota. Ea enim tot observationum luce collustrata, ineptas umbras et incerta Scholasticorum principia, abstractiones, potentias, formalitates, et similia ex orbe philosophico eiecit, effecitque, ut harum nugarum pudeat, quotquot philosophiae nomine se dignos reddere cupiunt. In ipsa quoque morali doctrina accidit, quod Scholasticae philosophiae deformitatem recentiori aetate detexit, et apud candidos viros in contemptum neglectumque adduxit. Nempe cum incertissima sequatur Scholastica philosophia in doctrina morali principia, eo quod nec Aristotelis ethica mores alios fingat, quam civiles, nec incertis disputationibus regi possint actiones humanae, illa autem ad argumentum morale traducta essent, lubricam quoque inde atque fluctuantem de actione morali tractationem exurgere necesse erat. Ea cum valde sufficeret, ad ea dogmata incrustanda, quae regnare in scholis intererat, ut emolumentum inde sequatur amplissimum, dici non potest, quanta inde corruptio moralis doctrinae exorta sit, quamque pestilens pravorum dogmatum feques velut lolium effloruerit. Testes volumus ea, quae de peccato philosophico, de conscientia probabili, de methodo dirigendi intentionem, de reservationibus mentalibus, de cogitationibus bonis, de attritione, et simili argumento morali in scholis tradita sunt. Quae quantum impietatis horrorem viris acutis et feuerioris disciplinae pietatisque tenacibus ex ipso Romanae ecclesiae gremio incusserint, quam graues accusationes et denuntiationes ecclesiae pontificique factae inde enatae sint, quanto acumine et eloquentia se accusati purgare annisi fuerint, quibus actis publicis librisque pestilens malum confossum explosumque sit, quid publicae synodi, et nuper demum illustris Sorbo-

T 2

na,

e) Conf. in compendio HSEIDEGGERI Histor. papatus Per. VII. §. 283. p. 447 seqq.

na ^f de ea re statuerint, hoc loco enarrari non potest, quamvis digna ea esset scena nostra fabula, cum breuitas nobis, et limites positi obstant. Vnde consulendi annales ecclesiastici, eorumque virorum doctorum historia, qui ex instituto has controuersias enarrarunt ^ε, et imprimis scripta in hoc argumento edita palmaria BLASII PASCALIS *Epistolae prouinciales*, contra Iesuitas, et PIROTI atque DANIELIS *Apologiae pro Iesuitis* ^b scriptae. Hac vero occasione clarissime apparuit, quos fructus foedos et immaturos ferat philosophia Scholastica, et quam necessarium sit meliora illi surrogare. Cumque iuris naturalis doctrinam vel plane neglexerint, vel incertissima methodo exiliter explicauerint Scholastici, restituta disciplina nobilissima Hugonis Grotii, Samuelis Pufendorffii aliorumque summorum virorum iudicio, ostensaque praestantissima, quam in controuersis publicis et illustribus habet, vtilitate, inuitati sunt in his academijs elegantiora ingenia vt neglectis tricis Scholasticis, et inutilibus disputationibus, quae vsum in republica habent plane nullum, meliora deligerent, et nouas huius disciplinae institutiones ⁱ conderent. Quibus praefidiis, spes laeta est, philosophiam Scholasticam indes magis eiectum, faniolem et pulchriorem stabilitum iri.

CAPVT TERTIVM.

DE PHILOSOPHIS GENVINAM ARISTOTELIS PHILOSOPHIAM SECTANTIBVS.

§. I.

*Philosophia
Aristotelica
natio vultui
restituta.*

Miseram et exsanguem philosophiae Aristotelico-Scholasticae faciem esse, et marcidos vultus referre, licet a magnis ingenijs comatur, pingatur, ornetur, ex haecenus dictis notissimum est. Quid igitur mirum, eam viris doctis displicuisse, indignamque vitam esse, cuius in amoribus delicias quaerat philosophantium chorus? Hinc de meliori philosophandi genere exorto seculo XVI displicere coeperunt fortioris pectoris et acutioris sensus eruditi, qui contentis nugis Scholasticis, quas cum nucibus relinquendas esse pueris statuebant, solidiori ratione ingenio

f) Vid. Corpus morale Sorbonnicum, quod doctissimis obseruationibus illustrauit et simul historiam literariam notissimae controuersiae enarrauit Cel. CHR. MATTH. PFAFFIVS, Tubing. 1718. 4.

g) Vid. nominati a Io. FABRICIO Hist. Bibl.

suae T. VI. p. 197. BVDDEO Sel. I. N. et G. praef. §. 5. et Isagog. in Hist. theol. L. II. c. 4. §. 10. p. 712. Vie de Mr. Arnaud p. 145. BAYLE, in Arnaud, Nicolle, etc. PFAFFIVS l. c.

h) Entretiens de Cleandre et d' Eudoxe.

i) Tales nuper plaudentibus Musis edidit Cel. Io. ADAM. ICKSTATTIVS.